DISCURSUS MEDICO-PHILOSOPHICUS

DE CASU ADOLESCENTIS CUIUSDAM ARGENTORATENSIS MIRABILI:

qui Anno M. DC. XVII. Octavo Aprilis, circa horam primam pomeridianam, mortuus in quodam paternarum ædium loco, adjacente ipsi serpente, à domesticis inventus fuit:

Publicè in Argentoratensis Academiæ ἀκροάσει nova XIV. Maij habitus

à

MELCHIORE SEBIZIO Juniore: Doctore Medico, & Professore Academico ibidem ordinario.

Horat. lib. 1. Epistolar. Epist. 6.

——— Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti: si non, his utere mecum.

ARGENTORATI
Excudebat Antonius Bertramus, impensis Pauli Ledertz Bibliopolæ.

M. DC. XVII.

I

Sebizius

Illustrissimo Celsissimoq; Principi ac Domino:

DOMINO IOHANNI CHRISTIANO, DVCI IN SILESIA LIGNICENSI AC BREGENSI &c: DOMINO AC PRINCIPI SVO Clementissimo.

ILLVSTRISSIME CELSISSIMEQVE PRINCEPS: Domine clementissime:

CVm ante menses aliquot præclaræ indolis & expectationis Adolescens, GEORGIVS SCHONERVS, honestissimi viri, civisq; Reipubl. nostræ optimi, D. IOSIÆ SCHONERI, Filius vnicus, mirabili, & inaudito ferè mortis genere obijsset: author & suasor mihi Parens meus fuit, vt de casu hoc diligentiùs cogitarem: & quid mihi de causis illius videretur, oratiuncula, vel discursu aliquo comprehenderem, publicèq; nostra in Academia explicarem. Fore enim hoc & Medicinæ studiosis vtile: & Facultati medicæ honorificum: & omnibus omnium disciplinarum cultoribus, propter rei novitatem, jucundum, gratum, atque acceptum.

Ego, cùm ex altera parte Parentis mandatum ac voluntatem considerarem: & obedientiam atque observantiam ge-

nitoribus debitam mihi revocarem in animum: fas quidem esse ducebam, monitis parêre, & prompta alacrique mente jussa fideliter exequi. Ex altera verò cùm casus perpenderem obscuritatem: eiusdemq; novitatem & difficultatem ponderarem altiùs: rectiùs me famæ & existimationi meæ consulturam arbitrabar, si prorsus tacerem: præsertim cùm perspicerem, magna ex parte nudis solùm conjecturis mihi nitendum esse.

Re autem diu multùmque deliberata, tandem Parentis consilium vicit. Satius enim esse existimabam, aliquid dicere: & alijs, quibus est judicium maturius, & doctrinæ supellex instructior, occasionem in rei veritatem accuratiùs inquirendi præbere: quàm venerandi Patris voluntatem negligere.

Neque quenquam vel curiositatis me accusaturum: vel discursum meum, qualiscunque tandem futurus esset, prorsus damnaturum putabam. Ad Medicinam enim spectat, quod humano corpori à morbificis accidit causis, perpendere. Medicinæ professoribus jncumbit, pro viribus enodare ea, quæ in eodem monstrosè, & contra consuetum naturæ cursum eveniunt. Quæ animo conceperam, etsi non omnia accurata & necessaria esse nôram: vero tamen similia: experientiæ consentanea: authoritate magnorum virorum stabilita: principijs denique medicis & philosophicis majori ex parte fundata sciebam.

DE Auditoribus optima quæque mihi pollicebar: planèq; eiusmodi censores & æstimatores me habiturum confidebam, quales Aristotelem in fine Organi sibi optâsse legimus; qui errata & omissa humaniter essent condonaturi: rectè autem jnventa grato agnituri animo.

Itaque calamum, vt dixi, in manum sumsi: & quicquid hic publicatum est sermonis, intra exigui temporis spatium confeci: prateritoque mense Majo publicè in Auditorio

rio Collegij nostri novo habui. Properabam enim: vt, dum casus adhuc esset recens, eò majus cognoscendi desiderium in Auditorum animis excitaret.

Verùm, quid accidit? Discursu finito, & à frequenti nobilißimorum doctißimorumque hominum cœtu attentè atque diligenter audito, plurimi, non modó studiosi: sed etiam Doctores ac Professores Academiæ nostræ rogârunt, vt vel typis eum excudendum traderem: vel saltem describendi copiam ipsis facerem.

Inter illos verò, qui impreßionem vrgebant, cumprimis mihi numerandus venit Reverendus, Clarißimus, & Experientißimus Vir, D. Doctor IOHANNES LVDOVICVS HAVVENREVTERVS, Collegij apud nos Thomani Præpositus dignißimus: Physices professor acutißimus: Præceptor & Fautor meus æternùm colendus: qui eam aliquoties suadebat: meque, vt negotium maturarem, sedulò hortabatur.

Eiusdem sententiæ fuit etiam Orator Academiæ nostræ eloquentißimus, D. MARCVS FLORVS: itidem Præceptor & Compater meus plurimúm honorandus: nec non Historiarum Professor eximius, D. M. MATTHIAS BERNEGGERVS: qui sæpiùs descriptum: magis autem typis excusum exemplar desiderabat.

Horum ergò, vt & aliorum laudatißimorum virorum, quos vitandæ ostentationis gratiâ silentio nunc prætereo, petitioni vt gratificarer: chartulas tandem meas, quanquam jnvitus, Typographo tradidi. Invitus dico: non quòd eorum judicio & voluntati acquiescere non debuerim: sed quòd declamatiuncula hac parum me aliis profuturum præviderim: ita quoque eam comparatam animadverterim: vt, sive tractandi rationem: sive dictionis genus: sive susceptæ materiæ qualitatem ob oculos mihi constituam: nihil inde honoris ac laudis sperare poßim.

Et sanè, si augurari mihi licuisset, leves hasce pagellas lucem aspecturas, & in doctorum manus venturas: vix mehercule, ac ne vix quidem ad perorandum me adduci passus essem. Alios contexere orationes malo: quibus ea facultas est, ut invenire ingeniosè: differere subtiliter: collocare inventa aptè atque concinnè: eademque eloqui latinè, copiosè, & eleganter possint.

Tuæ verò *Celsitudini, Princeps generosissime, Domine clementissime, chartaceum hocce munusculum, levidense quidem, & tanto Principe minimè dignum, humiliter offerre, ac, ut loquuntur, Illustrissimo Celsitudinis Tuæ nomini submissè inscribere sequentes ob causas volui.*

Primùm, quia ex Parente meo cognovi, Celsitudinem Tuam literarum studijs impensè delectari: magnamque voluptatem ex novarum, mirabiliumque rerum lectione percipere.

Deinde, quoniam Celsitudo Tua singulari clementia Academiam nostram, eiusq; Professores, ac cumprimis Parentem meum, non tùm solùm, cùm studiorum gratiâ Argentinæ degeret, est prosequuta: sed etiam in hunc usque diem eandem gratiam ac benevolentiam clementissimè conservat.

Tùm, ut publicum aliquod meæ erga Celsitudinē Tuam observantiæ ac gratitudinis extaret monumentum, pro beneficentia summa, qua fratrem meum PHILIPPUM, *plures jam annos complectitur: eiusq; ministerio in Aula sua benignissimè utitur.*

Quartò, ut occasionem haberem, eundem Celsitudini Tuæ ulteriùs debita cum animi subjectione commendandi, humiliterque rogandi: ut, quemadmodum hactenus Princeps illius atque Patronus fuit munificentissimus: sic deinceps quoque eum authoritate sua tueri, & gratia juvare, ac promovere clementissimè dignetur.

Tandem

Tandem, ut Defensorem haberem Discursus mei potentia & authoritate summa praeditum, adversus Momos ac Zoilos; qui, sat scio, antiquum obtinebunt, & quae etiam rectissimè dicta sunt, convitijs proscindere minimè verebuntur.

Suscipe igitur, Princeps laudatissime, chartulas hasce clementissimè: neque tàm illarum tenuitatem, quàm Authoris animum, Illustrissimae Celsitudinis Tuae observantissimum, mitissimè respice: & cum indignae sint, quae tantae dignitatis ac amplitudinis Principi dedicentur, dignas innata, planèque heroica tua humanitate effice: ad majora, et posteris gratiora utilioraq; animum adde: mihiq; meisq; Musis favoris tui auram suavissimam aspira.

DEUS OPT. MAX. *Celsitudinem Tuam optimè valentem, & felicissimè regnantem ad Nestoreos usq; annos conservet: suamq; gratiam ac benedictionem largiatur: ut in Celsitudine Tua firmissimum fulcrum Ecclesia: amplissimum praesidium Schola: liberalissimum auxilium, & refugiam certissimum Respublica: dulcissimum deniq; gaudium atque solatium pij boniq; omnes, sicut hactenus, ita in posterum quoque, paratum inveniant.*

Perscriptum Argentinę, mense Augusto, anno recuperatae per CHRISTUM Mediatorem salutis MDCXVII.

Illustrissimae Celsitudinis Tuae

Subjectissimus

Melchior Sebizius junior.

Med. Doctor & Professor.

detis, aperientur oculi vestri, eritisq; sicut Dij, scientes bonum & malum. Hac fraude decepta prima omnium hominum mater Heva comedit, deditq; viro suo Adamo, & ipse comedit. Gen. 3. v. 1. & seqq. Primum hoc fuit studium & actio cõmunis diaboli & serpentis: MENTIRI & OCCIDERE. Mentitur enim hîc serpens antiquus diabolus dicendo: *Nequaquam morte moriemini.* Nam Deus, qui ipsa veritas est, expressè prædixerat Gen. 2. v. 16. *Quacunq; die de ligno scientiæ boni & mali comedes, morte morieris.* Occîdit etiam, & ita quidem, ut D. Apostolus Paulus non unius tantùm hominis, sed totius generis humani temporalem & æternam mortem primæ huic seductioni Rom. 5. v. 12. attribuere haud vereatur. *Per vnum enim hominem peccatum introivit in mundum, & per peccatum mors, & ita mors in omnes homines pertransijt.* Rectè igitur Christus servator noster inquit Joh. 8. v. 44. *Diabolus homicida erat ab initio, & in veritate non stetit; quia non est veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex proprio loquitur: quia mendax est, & pater illius.* De ignitis serpentibus legimus Num. 21. v. 6. quod ipsorum morsibus in populo Israelitico, maxima hominum

minum pars extincta & è medio ſublata fuerit. Simile quoddam exemplum nobis occurrit in hac noſtra civitate ante hac ferè inauditum, in Ornatiſſimo optimæq; ſpei adoleſcente, GEORGIO SCHONERO Argentoratenſi, ante biẽnium Claſſis in Academia noſtra tertiæ diſcipulo diligentiſſimo: qui propter incertum quoddam morbi genus, hactenus privata & domeſtica inſtitutione tantum effecit: ut eorum quidem judicio, quibus ipſius profectus in ſtudijs cogniti atq; perſpecti ſunt, ad lectiones publicas pro hoc tempore cum laude promoveri potuiſſet, ſi lucis hujus vſura diutiùs ei conceſſa fuiſſet. Hic præterita die Martis, precibus ſuis matutinis, lectione Biblica conſueta, alijsq; literarum & bonarum artium ac diſciplinarum ſtudijs abſolutis, horâ primâ pomeridianâ per ſerpentem extinctus miſerrimè vitam ſuam finire coactus fuit. An in ipſius corpore hactenus latuerit ſerpens, incertiq́; illius morbi cauſa extiterit, nunc exitum quærendo bonum hunc adoleſcentem occiderit: an verò aliundè tale aliquid contigerit: optimè noverunt ij, quibus circumſtantiæ magis cognitæ atq; perſpectæ ſunt, A ſer-

 pente

pente extinctum summo cum dolore invenerunt parentes, filiū pro hoc tempore charissimum & Unicum. De salute ipsius æterna non est, quod dubitemus. Nam sine dubio tantis in cruciatibus oculis fidei aspexit æneum serpentem, non à Moyse in deserto erectum, sed in ara crucis exaltatum, Dominum ac Servatorem nostrū IESUM CHRISTUM: qui ipse nobis hanc consolationem contra serpentes & ipsum Satanam suppeditat Joh. 3. v. 14. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Natus hic est pius, modestus, ac probus adolescens parentibus etiam pijs atq; honestis: patre, viro præstantissimo, Domino JOSIA SCHONERO, Granarij in urbe nostra præfecto fidelissimo: matre, pientissima matrona, MARIA SCHEYDIN, Anno millesimo quingentesimo nonagesimo nono, die 10. Septembris, horâ pomeridianâ prima. Ab his in pietate ac timore Domini statim in primis annis ætatis ita fuit educatus: ut Salvatorem suum ex catechesi agnoscere, eiusq; beneficia vera fide sibi applicare didicerit: ut serpens hic

malignus

malignus vitam quidem ei temporalem eripuerit: ex manu autem Domini in vita æterna nunquam eripere poſſit. *Nemo* enim, inquit Chriſtus, *eripiet oves meas ex manu mea: Pater meus, qui dedit mihi, major eſt omnibus: & nemo poteſt rapere de manu patris mei. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum.* Joh. 10. v. 29. Studia hujus adoleſcentis quod attinet: per omnes inferiores Claſſes optimum teſtimonium obtinuit: ita ut in progreſſionibus ordinarijs priora loca ſemper occupaverit: in reliqua vita actiones cunctas ita informavit, ut parentibus, Præceptoribus, condiſcipulis charus & acceptus extiterit. Quam ob cauſam non dubito, ſingulari frequentia in funere comparituros: quod inſtitutum eſt hodie ad horam mediam ſecundam pomeridianam. Efferetur illud ex ædibus Granarij publici. Valete. P. P. Argentorati 10. Aprilis, Anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo decimo ſeptimo.

RECTOR ACADEMIÆ ARGENTORATENSIS: JOHANNES BECHTOLDUS, SS. THEOLOGIÆ DOCTOR ET PROFESSOR,

STUDIOSIS ADOLESCENTIBUS S. P. D.

A Serpentibus homines occiſos eſſe, non tantùm Sacræ literæ teſtantur Num. 21. v. 6. verùm etiam ipſi Medici obſervarunt: ſerpentes aliaq; animalia venenata aliquando dormientibus per os in ventriculum irrepere, excitatiſq; graviſſimis doloribus, hominem interficere. Ex Eraſmi Dialogo de Amicitia illud Ephorini citatur, dicentis: interdum clanculum adrepentes in os patens dormientis conijciunt ſeſe, & in ſtomachum ſeſe convolvunt: tunc miſer Homo afflictiſſimè vivit, nec eſt ullum mali levamen, niſi ut lacte, alijsq; gratiſſimis ſerpenti cibis alat hoſpitem. Remedium autem adverſus tantum malum eſt comeſum affatim allium. Nullum aliâs dubium eſt, quin per ſerpentem Homo interficeretur. Ex Hippocrate lib. 5. de Morb. Popular. refertur exemplum

hac

hacratione extincti adolescentis: qui multo meraco epoto, supinus in habitaculo quodam dormiebat. Huic serpens, Arges appellatus, in os ingressus est: & sanè cum sensisset, & loqui non posset, dentibus stridit, & serpentem devoravit, & dolore magno tenebatur, & manus prætensas adhibebat, velut qui strangularetur, & iactabat seipsum: & convulsus mortuus est. Plura recensere nostri neq; instituti, neq; professionis nostræ est. Vnum atq; alterum allegare placuit: ut occasionem haberemus significandi Discursum quendã singularem medicum, qui crastinâ die Mercurij, DEO volente, in Auditorio Majore, de hac ipsa materia instituetur à Nobilissimo, Clarissimo & Experientissimo viro, Dn. MELCHIORE SEBIZIO Juniore, Medicinæ Doctore, & Professore in hac nostrâ Academiâ celeberrimo: Collegâ, fautore, & affine meo plurimùm honorando. Hic enim in simili quodam exemplo adolescentis illius, cuius funus superioribus diebus publico Programmate fuit indicatum: aliquantò diligentiùs & accuratiùs tale mortis genus considerabit: ac de duobus potissimùm differet capitibus. Primò circa illud

SUB-

SUBJECTUM, quod passum, versabitur: breviterq; & constitutionē corporis defuncti Adolescentis: & symptomata, quibus sesquiannum ferè affligebatur: & casum tristissimum, quo mortuus à domesticis quibusdam in quodam loco inventus fuit, exponet. Secundò de AGENTE, ipso nimirum SERPENTE dicet: ac præter illius descriptionem varias tractabit quæstiones: An videlicet serpens extra Adolescentis defuncti corpus fuerit: & foris solùm virulentia sua illud læserit: an verò in ipsius corpore jam dudum latitârit: ac tandem exitum sibi per aliquod illius emissarium parârit? Rursus, si in corpore suum habuit domicilium: quomodo in illud devenerit: irrepseritné fortè per nares, aures, os, aut alvum, dum sub dio in loco aliquo serpentibus familiari dormiret? Fueritne magicis maleficorum hominum artibus in illud immissus? an intus ex materia aliqua, eaq; aut externa & adventitia, aut interna & in corpore nata generatus? Qua in corporis parte enutritus? Quomodo sine internecione, aut gravioribus saltem symptomatibus tanto temporis tractu hærere in corpore potuerit? Quam ob causam

per

per os tandem eruperit? Qua ratione Adolescentem è medio sustulerit? Deniq;, si qua artificiosa conjectura, aut ad minimum suspicio aliqua de serpente subfuisset: utrum extinctus Adolescens liberari ab eo, pristinæq; sanitati restitui potuisset? Hæc & similia pleniùs exponet prædictus vir Clarissimus atq; Doctissimus: cujus præclara in facultate Medica scientia & experientia ita nobis omnibus cognita atq; perspecta est, ut ad audiendum hunc discursum nulla vel exhortatione, vel invitatione opus esse videatur. Est ipsa quoq; materia, quæ tractabitur, omnibus grata & accepta: ita comparata, ut ultrò ac sponte cives Academicos magna in frequentia comparituros esse confidā. Sumus aliâs rerum novarum cupidissimi. Res profectò hæc nova est: vel nunquam, vel raró antehac nostrâ in Republica & Academiâ audita: digna, cujus causæ diligenter considerentur. Conveniemus igitur crastinâ die in acroasi novâ horâ octavâ, nostrumq; erga facultatem Medicam, totamq; Academiam affectum benevolum declarabimus. Valete P. P. Argentinæ 13. Maij Anno recuperatæ per Christum salutis, M. DC. XVII.

DISCURSUS MEDICO-PHILOSOPHICUS.

Diuinus & incomparabilis humanæ ſapientiæ ac veritatis Magiſter Ariſtoteles, Socratem in Theæteto Platonis imitatus, lib. 1. majore Metaphyſ. c.2. ſcribit: τοὺς ἀνθρώπους διὰ τὸ θαυμάζειν καὶ νῦν, καὶ τὸ πρῶτον ἄρξασθαι φιλοσοφεῖν: *Homines propter ADMIRATIONEM & nunc, & primò philoſophari cœpiſſe: Illuſtres ac Generoſi Domini Comites atq; Barones, Domini clementes: Magnifici, Spectabiles, Reuerendi, Conſultiſsimi, Experientiſsimi, Clariſsimi viri: Præceptores, Fautores, & Collegæ omni honore ac obſervantiâ colendi: Vosq; cæteri, qui adeſtis, Auditores, nobilitate generis, pietate, virtute, eruditione, multarumq; rerum vſu & experientia præſtantiſsimi.*

Cùm enim primùm τὰ πρόχειρα τῶν ἀτόπων, *h.e. res minus difficiles, nobis ſcilicet obuias, vicinas, noſtræq; naturæ familiares; quales ex eiusdem Ariſtotelis ſententia* lib. 1. de partib. animal. c. 5. *ſunt illæ, quæ generantur atque intereunt, & in hac*

hac sublunari mundi regione consistunt, essent admirati: admiratione ducti, causas earum inuestigârunt: ijsq́ inuentis, vlteriùs progressi sunt: & de illis quoq́ curam cogitationemq́ susceperunt, quæ in æetherea mundi plaga conspiciuntur: itidem admiratione motus corporum cœlestium constantis atq́ continui: magnitudinis eximiæ: figuræ exquisitè rotundæ: luminis perpetuò splendentis: situs & ordinis concinni: deniq́ influentiæ variæ ac multiplicis impulsi, & in sublime quasi tracti. Neq́ id sanè immeritò. ἐν μὲν γὰρ τῷ θαυμάζειν τὸ ἐπιθυμεῖν μαθεῖν ἐστι, καὶ τὸ θαυμαστὸν ἐπιθυμητὸν, *inquit idem philosophorum princeps* lib. 1. Rhet. c. 11. *admirationi cupiditas discendi inest: & admirabile quod est, inquirendi desiderium parit.*

Quodsi parua licet componere magnis, verè affirmare possum, quemadmodum ADMIRATIO effectuum naturalium priscis hominibus philosophandi causa fuit: sic eandem & mihi occasionem præbuisse: vt de nouo, & ante hunc diem nostra in Republica inaudito ferè mortis genere, quo nuper honestißimus, summæq́ spei adolescens, GEORGIVS SCHONERVS, integerrimi viri, D. JOSIÆ SCHONERI, publici granarij Præfecti fidelißimi, Filius est ex-

tinctus, seriò cogitarem: deq; causis illius vehementer sollicitus essem.

Sic namq; statuebam, honestum esse, ut casus insperatus, horrendus, imò prorsus monstrosus, cujus rumore non solum universa personasset Argentinensium Politia, & tota quasi attonita esset facta: verum etiam vicinæ regiones perculsæ; altiùs perpenderetur: præsertim cum audirem, varia paßim spargi judicia: nullumq; extare, quantumvis somnolentum aliàs naturalium rerum spectatorem, qui non desiderio flagraret ardentißimo intelligendi ea, quæ circa casum huncce, stuporis & admirationis plenißimum, contigissent.

Arbitrabar esse jucundum: ut in causas diligentiùs inquireretur eorum, quæ prodigiosè, ac contra consuetum naturæ cursum humano in corpore fiunt: & inquisitæ tùm Medicinæ, tùm aliarum Facultatum studiosis communicarentur: quò aliorum sententias explorare esset integrum: ipsaq; tandem veritas elucesceret.

Deniq; utile ac necessarium esse ducebam, omnes ingenij nervos intendere, ut affectus optimi Adolescentis, quantum quidem artificiosis assequi conjecturis liceret, pleniùs cognosceretur: quò cognita illius natura atq; causa, aliorum hominum

minum ſaluti & incolumitati ſimili in caſu conſuli poſſet.

Cæterùm, licet negotium iſtud valdè ſit intricatum, & multis difficultatum involucris implicitum: adeò ut maluiſſem audire alios, ingenio, doctrinâ, & medicarum philoſophicarumq; rerum peritiâ me longè ſuperiores: quàm ipſemet aliquid in tanto, tamq; præclaro doctiſſimorum virorum conſeſſu proferre: tamen, ne ijs refragari velle viderer, quorum ego neq; authoritatem ignorare: neq; mandata aſpernari: neq; voluntatem negligere debeo: malui dicendo craſſitiem linguæ, imbecillitatem judicij, & ſterilitatem ingenij mei prodere; quàm tacendo impietatis aut ingratitudinis crimen committere.

Toto autem diſcurſu de DUOBUS diſſeram CAPITIBUS. *Primùm circa SUBIECTUM, quod paſſum, verſabor: breviterq; & conſtitutionem corporis defuncti Adoleſcentis: & ſymptomata, quibus ſeſquiannum ferè affligebatur: & caſum triſtiſſimū, quo vita privatus à domeſticis repertus fuit, exponam.*

Deinde de AGENTE, ipſo nimirum ſerpente dicam: ac præter illius deſcriptionem varias tractabo quæſtiones: An videlicet ſerpens extra Adoleſcentis noſtri corpus fuerit, & foris

 accedens

accedens virulentiâ suâ illud læserit: an verò in ipsius corpore jamdudum latitârit: ac tandem exitum sibi per aliquod illius emissariũ parârit? Rursus, si in corpore suum habuit domicilium, quomodo in illud deuenerit: irrepseritnè forte per nares, aures, os, aut alvum, dum miser sub dio, in loco aliquo serpentibus patrio ac vernaculo dormitaret? Fueritné magicis maleficorum artibus in illud immissus? An intus ex materia aliqua, eaq; aut externa & adventitia: aut interna, & in corpore nata, generatus? Qua in corporis parte enutritus? Quomodo sine internecione, aut gravioribus saltem symptomatibus tanto temporis tractu hærere in corpore potuerit? Quam ob causam per os tandem eruperit? Qua ratione Adolescentem è medio sustulerit? Deniq;, si qua artificiosa conjectura, aut ad minimum suspicio aliqua de serpente subfuisset, vtrum extinctus Adolescens liberari ab eo, pristinæq; sanitati restitui potuisset?

De quibus rebus, obscuris sanè, arduis, & perquàm difficilibus, vt differenti mihi clementes benignasq; præbere aures dignemini, qua par est animi submißione & observantiâ vehementer rogo: simul etiam obnixè peto, ut sicubi fortè hallucinatus fuero, quemadmodũ hallucinari facilè

contingit,

contingit, cum magna ex parte conjecturis solùm nitendum, mihi ignoscatis, succurratis, viam monstretis regiam: certòq; persuasum habeatis, non me ex illorum hominum genere esse, quos Aristoteles θέσιν φυλάττοντας *appellat: sed ex albo eorum, qui rectiùs informati,* ὅσιον προτιμῶσι τὴν ἀλήθειαν: καὶ ἐπὶ σωτηρίᾳ γε τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιροῦσι: *ut idem philosophus in morali doctrina loquitur: quibus nimirum antiquior semper est veritas: quiq; pro conservatione veritatis etiam proprias evertere sententias minimè erubescunt.*

l. 1. Eth. Nic. c. 4.

Statum ergò & conditionem corporis de*functi Adolescentis quod attinet: relatum mihi fuit à parentibus, domesticis, & alijs, qui familiariter eo usi sunt, natum quidem ipsum hanc in lucem fuisse corpore perfecto, omnibusq; suis membris constante: sed in pueritia valetudine usum deteriore: & varias, easq; haud leves ægritudines perpessum. Pubertatis annos cùm attigisset, valuisse aliquantò rectiùs: viresq; recollegisse.*

Annum verò ætatis cùm esset ingressus decimum septimum, cœpisse iterum de quibusdam corporis sui calamitatibus querelas movere. Vires enim quodammodo languescebant: vigor ingenij decrescebat: naturalis faciei color peribat: jejunium

jejunium molestum erat ac difficile: oris halitus fœtebat summè, stomacho cumprimis jejuno: & olebat fœtorem peregrinum, hominibusq; aliâs minimè consuetum: aër inclusus ferri diu non poterat, præsertim hominum multitudine præsente: petebatur sæpius apertus & ven tilatus: quo inspirato, natura statim reficiebatur: tantus timor, tanta anxietas quandoq; aderat, ut parentes mente captum iri veriti fuerint: flatuum dominabatur copia, qui non rarò sursum deorsumq; erumpebant, non sine maximo adstantiū fastidio: mœstitia & melancholia citra manifestā causam cor obsidebat: superveniebant quandoq; leipothymiæ: & procul dubio palpitatio, aut tremor cordis affligebat: de quo tamen symptomate nihil certi parentes affirmare poterant: apprehendebat Adolescens nonnunquam imum ventrem, cruribus contractis, & corpore incuruato, magnaq; cum commotione totius naturæ exhorrescebat: certis insuper temporibus affectū quendam patiebatur: qui num syncope, an epilepsia fuerit, parentes quidem ignorare se dicebant. Ex convulsionibus tamen, quanquam obscuris & particularibus, rationisq; priuatione, epilepticos fuisse insultus facilè colligebam: idq; Auicennæ authoritate l.3. Can.fen.16.tract.5.c.2 *confirma-*

confirmabam: vbi vermes atque serpentes Epilepsian inferre apertè docetur.

Hac ipsius infirmitate moti honestißimi Parentes à publicis eum scholis avocârunt: intraq; domesticos parietes literarum informari studijs curârunt: præsertim cùm intellexissent, sæpiùs ei aërem mutandũ esse: aliquando etiam, lectioni cùm interesset, in epilepticum paroxysmum incidisse. Priuatim cùm institueretur, & arte Reuerendi, Clarißimi, Experientißimiq; Viri, Dn. Doct: IOHANNIS LVDOVICI HAVVVENREVTERI, Medici felicißimi, & Philosophi acutißimi, tractaretur fideliter atq; diligenter: nihil tamen leuaminis inde sentiret: VIII. Aprilis, finito prandio, cum domestico præceptore animi causâ expatiatus est: sed domum reuersus, vrgente forsan naturæ neceßitate, locum adijt secretum: foresq; pessulo occlusit. Quid fit? Famula eiusdem loci cupida accurrit: sed ostium videns clausum: & Adolescentem tamen grauiter intus anhelantem audiens, eum acclamat, rogatq;, fores vt aperiat. Nullo autem accepto responso, ocyùs ad Heram se confert, & factum narrat. Hera nihil suspicans boni, nulla interposita mora, accelerat, filiumq;, vt foras pandat, hortatur. Verùm, ne-

mine respondente, multòque minus pessulum remittente, fores vi effringere tentat: quibus effractis, filium, pròh dolor, & filium vnicum, medullitùsque dilectum, exanimatum videt: quem primò tamen intuitu exanimatum minimè putabat. Nec filium modò cernit: sed & serpentem (dictum horrendum) filio adjunctum. Erat autem verus & naturalis serpens: cuius rei ipsemet oculatus esse testis possum. Animal enim viuum, ampullæ vitreæ inclusum, quarta ab interneci-one die oculis meis vidi, diligenterque consideraui. Longitudine vlnam Argentinensem, & quartam illius partem æquabat. Caput habebat parvum, resimum, atque depressum: oculos nigricantes: linguam, qualem Aristoteles in serpentibus describit, tenuem, longam, atram, vibrantem, in extremitate bifidam, & veluti quibusdam capillamentis discretam: cervicem angustam: truncum corporis pollice crassiorem: caudam paulatim attenuatam: in fine tamen aliqua sui portione diminutam: quod qua ratione acciderit, minimè constat: pellem circa dorsum & latera ex squamulis contextã: obscurè viridem: circa ventrem verò subcæruleam, nigrisque maculis variegatam. Ex genere, uti mea quidem fert opinio, terrestrium serpentum erat: verèque venenatus:

l. 2 hist. an. c. vlt.

natus: id quod sequentibus planum facere rationibus licet. Primùm quidem ex symptomatibus prægressis, quæ malignitatem quandam præ se ferebant. Deinde ex ventre Adolescentis, qui post obitum haud mediocriter intumescebat. Tertiò ex colore quarundam partium corrupto ac depravato: quo veneno potionata corpora infici plerunque solent. Quartò αὐτοψία *ipsa, & inspectione oculari. Quamprimùm enim à quodam excubiarum præfecto ampulla fuisset exemptus, suam virulentiam in nostra præsentia per caudæ extremitatem deponebat.*

Hic jam quæstio oritur, Auditores præ*stantissimi, cum serpens iste extra sepulti Adolescentis corpus inventus fuerit: utrum in loco illo secreto jam præextiterit, ingressumque venenositate sua infecerit: an in ipsius corpore jamdudū hæsitârit: & tandem exitum sibi per aliquod ejus emissarium fuerit molitus? Qua quidem quæstione nil jam opus esset, si adstantibus domesticis, in loco aperto Adolescens interijsset: aut, quod optassem unicè, post mortem dissectus à Medicis fuisset. Sensus enim rem fecisset planam: nosque* ἀμελαπλώτους *reddidisset. Verùm, cum fuerit solus: & quidem in loco clauso: neque corpus apertum: conjecturis niti cogimur.*

Dico autem liberè quod sentio, & ex ipso corpore egressum fuisse serpentem dico. Nam si ante Adolescentis introitum serpens jam in illo loco fuisset: sanè, aut virulentam bestiam vidisset: cum locus fuerit angustus, & solis radijs illustratus: aut non. Si vidisset: non ingressus fuisset: aut ingressus illicò fugâ sibi consuluisset: eò quòd nemo sanæ mentis in præsens sese vitæ periculum præcipitare soleat: aut domesticos saltem accersisset, bestiamq; ne locum inficeret, prodidisset: & ut occideretur, procul dubio curasset. Sic namque communi naturæ lege animati sumus omnes, ut quæ vitæ nobis minantur exitiũ, omnibus modis ac rationibus profligare satagamus. Si non vidisset, sed incautus ab animali fuisset morsus: haud tamen e vestigiò expirasset. Non enim eiusmodi serpentum ictus atq; morsus adeò venenati esse videntur, ut subitò & derepentè hominem è medio tollant. Pestifera aëris seminaria integris viribus ad principium vitæ statim penetrant: neq; tamen, licet potentissima sint, & summè perniciosa, extemplò interimunt. Cur ergò serpens iste, cujus venenum erat longè crassius atq; obtusius, & in externam solùm corporis particulam eructatum, tam citò Adolescentem necasset? Itaq; constat, è corpore Adolescentis

illum

illum prodiisse, Quod quidem præter rationem modò allatam etiam alia verum esse probant. Ac primùm quidem symptomata suprà commemorata, quorum serpens causa fuit. Deinde halitus oris, qui, ut Parentes & domestici referebant, serpentem olebat. Tertiò argumento est haud levi, quòd assumpto cibo rectiùs: ventriculo autem existente jejuno, deteriùs Adolescens habuerit. Quartò id confirmat, quod hausto lacte, poto vino, & assumptis ferculis ex lacte paratis, à molestiis & accidentibus, quibus aliâs affligebatur, aliquandiu fuerit immunis. Atqui serpentes lactis avidissimos esse, quotidiana experientia abundè docet. Vino quoq; mirum in modum delectari, solertissimi naturæ speculatores, Aristoteles & Plinius scriptum reliquerunt. Quintò probabile suppeditat argumentum modicus ille cruor, qui cum excreta spuma mixtus cernebatur. Is enim haud exiguam mihi suspicionem alicujus vulnusculi, ob acumen tamen & exilitatem dentium serpentis sensum fugientis, vel faucibus, vel linguæ, vel palato, vel labiis, vel alii alicui oris particulæ inflicti, parit: tantumq; efficit, ut credam, serpentem per os exiisse. Quodsi extra corpus constitisset, non os, non labia: sed pedes potiùs, aut tibias, utpote

l. 8. hist. animal. c. 4. l. 10. hist. nat. c. 72.

partes infernas, ac proinde serpenti viciniores, sauciasset.

Sed quæ causa fuit, inquiet quispiam, quod serpens, dum exiret, Adolescentem vulnerârit? Causam hanc puto, Auditores nobilissimi, quia cùm jam ad os Adolescentis pervenisset, magnoq; conatu egredi contendisset, vel deglutiendo, summisq; viribus inspirando, ne suffocaretur, retardatus, & aliquo modo impeditus ab Adolescente fuit: vel labijs, dentibusué ab eodem compressus: unde serpens irritatus, mordendo injuriam propulsare, & quasi vindicare se attentârit. Sextò idem planum facere spuma videtur: quæ partim projecta in terram: partim adhuc ori Adolescentis, quamvis exigua in quantitate, affixa conspiciebatur. Icti à serpentibus externis spumã haud emittunt, velut αὐτοψία *demonstrat. Quid ergò causæ fuit, quod Adolescens noster spumârit? Causam reor serpentis egressum ex ore fuisse. Nam cùm egrederetur, asperã arteriam, quæ gulæ contigua, coarctabat: epiglottida deprimebat: rimulam laryngis, per quam inspiramus & expiramus, constringebat: ac propterea Adolescentem suffocabat. Suffocatis autem spumam circa os colligi solere, & experientia testatur quotidiana: & Hippocrates ostendit*

aphor.

aphoris. 43. sect. 2. *& ratio ipsa dictitat. Sunt enim spumæ causæ duæ : quemadmodum præclarè præclarißimus Hippocratis interpres Galenus* in comment. hujus aphorismi *monet: Vna materialis: eaq; duplex: spirituosa scilicet & humida: altera efficiens: & itidem bipartita: calor nimirum ac motus localis: quarum causarũ impetu vtraq; materia in multas veluti particulas confringitur, miscetur, vnumq; corpus constituitur. Materia humida in ore, huicq; annexis tonsillis consistit: & est saliva. Spirituosa à pulmone & corde proficiscitur: estq; fuligo. Itaq; respirationis via intercepta, calor cordis inflammatur: fuligo cumulatur: cumq; liberè expelli nequeat, violenter à pulmone extruditur: salivali humori permiscetur, eiq; quasi circumplicatur: vnde spuma. Quid si ad spumæ hujus generationem etiam epilepticum paroxysmum aliquid momenti attulisse diceremus? Notum siquidem lippis est atq; tonsoribus, epilepticorum ora spumare: & quidem, ut Galenus ibidem tradit, ob vehementiam motus. Indicatum quoq; antea, Adolescentem nostrum multoties epilepticis correptum fuisse convulsionibus. Quod si ergò ob tetras malignasq; exhalationes, principium nervorum vellicantes; alijs temporibus*

ribus Epilepsia prehendi potuit: quidni conjectare liceret, etiam ultimò, cùm serpens orificium ventriculi superius, quod acutissimi est sensus, & nervorum ratione magnam cum eorundem principio, Cerebro nimirum, societatem habet, transiret, sursumque ad os tenderet, eadem conflictatum fuisse? Præsertim cum experiamur, etiam vermes, animalia tamen longè minora mitioraque, horrendas quandoque, & lethales convulsiones in puerulis excitare, cum superius stomachi orificium petunt: indeque sursum ad nares & os scandere nituntur.

Sed secunda sese quæstio offert: cum *veritati maximè consonum sit, serpentem in corpore Adolescentis delituisse, quomodo in illud se insinuârit? irrepseritnè dormienti in os, nares, aures, aut alvum? fueritné incantamentorum maleficijs in Adolescentem conjectus: an ex aliqua vel interna, vel externa materia in eodem generatus?*

Quæstio *sanè ardua atque difficilis: & omninò talis, cujus decisionem ex alijs audire mallem: quàm propriam explicando sententiam ludibrio me hoc in loco, quo nihil, nisi acuto inventum ingenio: acri limatum judicio: exquisita & recondita comptum eruditione: singulari denique industriâ*

dustria elaboratum, proferri debet, exponere. Verùm, cum errores in rebus dubijs, incertis, valdeq́ abstrusis veniam mereantur: egoq́, lapsus ubi fuero, meliora edoctus surgere, & in viam redire paratißimus sim: spe certa fruor, æquißimos eorũ, quæ dicturus sum, æstimatores me habiturum.

Prima igitur *videri fronte posset, serpentem Adolescenti, dum somnum captaret, per aliquam nominatarum partium in corpus subijsse. Impoßibile enim non esse, ut dormientibus animalia quædam irrepant, historiæ fide dignißimæ testantur.*

Divinus Hippocrates lib. 5. epidem. *non procul à fine, exemplum habet memorabile. Adolescenti cuidam, inquit, vino meraciori ingurgitato, supinè in habitaculo quodam dormienti, serpens, Arges vocatus, in os ingressus est.*

Volaterranus, referente Mizaldo memorabil. centur. 8. aphor. 76. *scribit, rusticum suo tempore per fœnisecia aperto ore in agris dormientem anguem intra corpus per hiantes fauces admisisse.*

Idem Hieronymus Tragus, botanicus celeberrimus, de puero sub arbore quadam in cam-

po recubante notat lib. histor. Stirp. 2. cap. 114. *Idem Marcus Gattinaria, practicus excellentißimus, de quibusdam alijs; qui æstate alto oppreßi somno, campestribus in locis patente ore quieverunt, narrat.*

Idem Conradus Gesnerus, Germaniæ nostræ Plinius, in Nomenclatura icon. aquat. *calculo suo confirmat.*

Idem Olaus Magnus, historicus fide dignißimus; lib. 13. c. 9. *asseverat. Compertum est, inquit, septentrionalibus in regionibus multorum indelebili historia, serpentes longitudine palmares, ac bipalmares, rubeos, cæruleosq́, faucibus se imbecillium infantum humi dormientium immittere.*

Idem deniq; Philologus ille & Polyhistor maximus, Erasmus Roterodamus, in dialogo de Amicitia perhibet: dicens, interdum serpentes clanculùm adrepentes in os patens dormientis sese conijcere: atq; in stomachum se conuoluere. l. 3. Georg. *Hinc Virgilius de tempore, quo serpentes in pratis & campis oberrant:*

Ne mihi tum molles sub dio carpere somnos,
Neu dorso nemoris libeat iacuisse per herbas,
Cum positis novus exuvijs nitidusq; juventa
Volvitur, aut catulos tectis, aut ova relinquens.

Neq; verò de serpentibus solùm hoc memoriæ

prodiderunt.

prodiderunt authores: verum etiam de animalibus alijs.

Omnibonus Ferrarius lib. 2. c. 9. de puerorum medicina *ait, ſcorpium Anno 1570. in agro Veronenſi infanti dormienti in cunis per os ingreſſum fuiſſe: ſuoq; aculeo ipſum læſiſſe. Experrectum autem poſt multos labores, dolores, & eiulatus, ſcorpium evomuiſſe, diemq; ſuum cum acerbiſsimo parentū luctu miſerrimè obijſſe.*

Idem ibidem memorat, duas lacertas in os ſeſe pueri cuiusdam æſtivo tempore in prato dormientis intruſiſſe: eiq; epilepticarum poſtea convulſionum, quibus per vices corripiebatur, extitiſſe cauſas. Finito tamen quodam paroxyſmo Veronæ, vomitu reiectas eſſe: & quidem in præſentia Alexandri Landi, Medici Veronenſis nobiliſsimi, cum magna omnium, qui aderant, admiratione.

Marcellus Donatus, ſereniſsimi Mantuæ & Montisferrati Ducis Conſiliarius, lib. 2. c. 12. hiſtor. mirabilis *recenſet, muſcam maiorem filio Oeconomi Maximiliani Imperatoris in os patulū ingreſſam, ad ventriculi vſq; cavitatem pervolaſſe: vehementerq; illum horæ ſpatio tor-*

ſiſſe: tandemq́ ſequenti die (res mira) per vrinarios ductus cum lotio exiſſe.

Petrus Aponenſis, Conciliator dictus, ex ſententia Theodori Priſciani different. 101. *monet, non modò ſerpentes: ſed & limaces, & ranas interdum in hominis intrare ſtomachum: ibiq́ foueri, & incrementum capere.*

Verùm, licet de recitatarum hiſtoriarum veritate, ob authorum, ex quibus depromptæ ſunt, fidem atq; authoritatem minimè dubitem: vix tamen mihi perſuadere poſſum, ſerpentem in noſtri Adoleſcentis corpus, dum dormiret, irrepſiſſe. Irrepere enim ſine ſenſu, *aut ſymptomate aliquo non potuit: niſi dicere placeat, Adoleſcentem tum temporis profundiſsimo veterno ſepultum fuiſſe: quod domeſtici tamen haud concedent: cum ſoporoſo capitis affectu, qualis veternus à Medicis ſtatuitur, antea minimè laborârit. Adoleſcenti quidem dormienti, cujus mentionem Hippocrates facit, ſerpens in os intrauit: ſed ingreſſum illicò ſenſit: tametſi altiſsimo ſomno, ob ebrietatē, fuerit detentus. Dolore enim magno, inquit Hippocrates, cruciabatur: dentibus ſtridebat: loqui non poterat: manus prætenſas, velut qui ſtrangularetur, adhibebat: hinc inde ve-*

hementer

hementer ſe ipſum jactabat: tandemq́; convulſus vitam cum morte commutabat. Et id quidem non ἀλόγως. *Sunt enim viæ, per quas ſerpentes, aliaq́; animalia in corpus ſe ingerunt, partim valdè anguſtæ: partim flexuoſæ: partim etiam exquiſito tactus ſenſu præditæ. Per nares ſi ingredi conentur, primùm quidem aſcendere: deinde per palati foramina iterum deſcendere coguntur. Quis verò credat, fieri hoc ſine ſenſu dormientis poſſe: cum nares adeò ſenſili ſint membrana ſuccinctæ, vt ne quidẽ plumæ titillationem ſine moleſtia ferre queant: anima verò dormientium, authore Galeno* lib. 2. de motu muſcul. c. 4. *minimè quieſcat: neque ſomnus perfecta ſit animalium functionum ceſſatio: ſed ſolùm vigoris quædam earum intermiſſio: adeò vt dormientes non planè ſenſu careant: ſed difficulter tantùm ſentiant: id quod Galenus inde probat: quia vocantes ſubaudiunt: tangentes ſentiunt: & lumine in cubicula illorum importato exurgunt? Per os verò quis putet* ἀναισθήτως *vel grandiorem, vel minorem ſeſe ſerpentem in ventriculum intrudere poſſe: cum os, lingua, œſophagus, & ventriculus communi, eaq́; nervoſa, ac propterea accuratiſſimè ſentiente tunica ſuffulciantur: cum*

 orificium

orificium ventriculi superius, per quod serpens reptando se immittere in illius cauitatem necesse habet, ita sentiat subtiliter, vt faucibus solùm digito, pennaue fricatis, irritetur, et ventriculus ad vomitum promoueatur? Quis per anum citra molestiam animal introire sibi persuadeat: cum beneficio musculi sphyncteris ita perpetuò constrictus ille sit, vt ne specilli quidem mucronem sine sensu vel stertentis hominis infigere liceat? Quis deniq; serpentem sine doloris perceptione per aures in ventriculum subire asseueret: cum & neruus ἀκουστικὸς, & membrana, quæ conchæ, siue pelui obtenditur, ac tympanum à recentioribus vocatur Anatomicis, corpora exquisitißimi sensus, se offerant: cum pertuso tympano surditatem consequi neceße sit: cum deniq; nulla manifesta via, præter unicum, eumq; valde exiguum atq; angustum canaliculum, qui cartilagine incrustatus, à concha auris obliquè deorsum procedens in palati finem, propè gargareonis radicem, desinit, reperiatur: per quem ingressa animalia ad fauces: ab his ad œsophagum: ab hoc ad ventriculum transire valeant.

Sed vlteriùs progrediamur: & num fortè *dolis ac fraudibus sortilegorum serpens iste, modò*

inuisibili

inuiſibili, ac inexplicabili, in corpus Adoleſcentis ſit intruſus, diſpiciamus? Multi namq; perſuaſum habent, poſſe à veneficis, diuina voluntate permittente, res monſtroſas, peregrinas, prorſusq́; ab humana natura alienas, in humanum corpus faſcino immitti: idq́; varijs exemplis ex grauiſsimorum authorum monumentis petitis probare conantur.

Nicolaus Manardus, Hiſpalenſis Medicus eximius, libro de ſimplic. medicam. ex novo orbe delatis cap. de Verben. *refert: famulum primarij cuiusdam ciuis magnum tenuium & ſpadiceorum capillorum glomum in præſentia ſua vomitu ejeciſſe. Similem hiſtoriam Carolus Cluſius, botanographus laudatiſsimus*, in Annotat. ad eundem Manardi locum, *de Jureconſulto quodam Antuerpiano habet. Hunc enim certis anni temporibus materiam in multos veluti muliebrium capillorum glomos congeſtam excernere conſueuiſſe memorat.*

Petrus Foreſtus, *medicarum obſeruationum conſignator diligentiſsimus*, lib. 15. obſeruat. 29: *ſcribit, filium laterarij cuiusdam fabri, hauſto Empirici pharmaco, magna vi conglomeratos crines euomuiſſe. Idem de puella quadam ibidem*

dem narrat: quòd ſcilicet ſingulis ferè menſibus pilos conglobatos laborioſè admodum eructârit. Et lib. 18. Schol. ad obſervat. 26. *dicit, vidiſſe ſe lapillos, oßium fruſta, aliaq́ extranea corpora vomitione expulſa.*

Ioannes Langius, illuſtrißimorum quondam Palatinorum principum Archiater dignißimus, libro 1. Epiſtol. medicin. Epiſt. 38. *tradit, in Theuern, Iuliacenſis Ducatus oppido, accidiſſe frequenter, vt ægroti in templo ante D. Annæ altare ſupplices proſtati, fruſta atq́ fragmenta vitrorum, vrceolorum, & oßium de piſcibus: imò & loculos nummis refertos euomuêrint. Et eodem in loco aſſerit, agricolam quendam Vlricum* Neuſeſſer / *in Eichſtettenſis Epiſcopatus pago,* Rugenſtall *appellato, cum crudelibus dolorum tormentis in altero hypochondriorum latere conficeretur, anno 1539. ſubitò clauum ferreum ſub illæſa cute apprehendiſſe: & nouaculà per barbitonſorem excidi curâſſe. Cùm verò dolores non modò non ceſſarent: ſed indies magis magisq́ exaſperarentur, accepto cultro guttur & gulam ſibimet ipſi confodiſſe. Ventriculo tertia die aperto, inveniſſe in eo diſſectores 4. cultros, partim acutos, partim ſerræ inſtar dentatos, ex chalybe factos:*

lignum teres: duo ferramenta aſpera, ſpithamæ longitudinem excedentia: deniq; capillorum globi inſtar inuolucrum.

Alexander Benedictus, Veronenſis Medicus arte & ingenio clariſſimus, lib. 8. practicæ c. 25. *teſtatur, viſas ſibi mulieres duas, vna die malis, vti conjectabatur, medicamentis potionatas, & horrendis monſtroſiſq; vomitionibus exagitatas. Alteram quidem acum crinalem hamatam, eamq; inſignem, cum capillis muliebribus, vnguiumq; ſegmentis, conatu magno reddidiſſe vomitione: ſequentiq; nocte è vita deceſſiſſe. Alteram verò præter capillos fruſta vitri, & caninæ caudæ tres portiones, quæ integram penè caudam conſtituebant, euomuiſſe.*

Antonius Beniuenius, Florentinus Medicus ſolertiſſimus, lib. de abditis & mirandis morborum ac ſanationum cauſis *prodigioſum mulieris cuiusdam vomitum proponit: quæ prægreſſis ſæpiùs horrendis conuulſionibus, ac ventre in tantam aucto magnitudinem, vt fœtum octo geſtaſſe menſes videri poſſet, longiores & recuruos clauos, æneaſq; acus, cum cera & capillis conglomeratas: ingens inſuper carneum jentaculi fruſtum per ſuperiora exturbauit.*

 Ioan-

Ioannes Schenckius, *Medicus eruditißimus*, lib. 7. obseruat. medicinal. obseruat. 41. *ex relatione Doctoris Laurentij Scholtzij*, *Cratonianorum consiliorum editione maximam nominis celebritatem consequuti, significat, ægrum quendam intolerabiles dolores circa ventriculi regionem ad necem usq; passum esse. Corpore autem post mortem inciso, omnis generis instrumenta in ventriculi cauitate fuisse reperta.* Observatione 40. eiusdem libri *affirmat, vxorem cuiusdã Cerdonis Vratislauiensis spinam pruni syluestris, dimidium ferè digitum longam, per os ejecisse.* Et observat. 42. *historiam penè fidem superantem ex chronico Brunsuicensi M. Henrici Buttingeri recitat de quodam sartore, Alberto Hencke, qui duos catulos albos, lumine cassos, post lactis esum eructauit.*

Cornelius Gemma, Medicinæ olim Louaniensi in Academia Professor præstantißimus, lib. 1. Cosmocrit. c. 6. *confitetur, non parũ se attonitũ factum, cum in muliere florentis ætatis, quæ nouẽ annorũm spatio diris intestinorum cruciatibus conflictabatur, rudimenta primùm craßioris membranæ: deinde frusta arboris ingentia, pleraq; pollicem crassa, ac paulò etiam longiora:*

tum

tùm folia laurinis haud absimilia: radices item, cortices, & nucleos, tomento quidem alicui inclusos: nullo autem putamine vestitos, per sedem dejectos conspexisset.

Similia exempla de cultris, clauis, fibulis ferreis, acubus æneis, carbonibus, testis, lapidibus, lignis, oßibus, plumis, setis porcinis, capillis, filis, piscium ac stirpium spinis, arena, vitro, stramine, corio, panno, alijsq; rebus quamplurimis, per os & aluum egestis, apud Wierum lib. 4. de præstigijs dæmonum c. 2. 5. 6. 7. 8. 13. 15. & 16. *extant. Quanquam Wierus distinguat: & quædam reuerâ, ac naturali ratione in corpore extitisse concedat: qualia sunt illa, quæ quandoq; in abscesßibus toto genere præter naturam, nempe in meliceridibus, atheromatibus, & steatomatibus conspiciuntur: quædam verò ex corporis educta meditullio neget: sed dum naturales materiæ per os, aut anum excernerentur, vel subtilitate velocitateq; dæmonis summa aliunde allata, ijsq; mira dexteriate admista: vel eiusdem præstigijs pro veris supposita: cum tamen ficta tantùm sint, & apparenter talia, qualia hominum sensibus fascinatis atq; delusis occurrunt: cuius generis ea sunt, quorum crebra iam mentio facta.*

Verùm, utut hæc se habeant, credo ego, ingenueq; profiteor, descriptum à nobis serpentem in corpus Adolescentis veneficorum quidem technis minimè intrusum esse. Impossibile enim mihi videtur, animal justæ magnitudinis, & animal venenatum, hominumq; generi infensissimum, insensibiliter, atq; innoxiè in humanum corpus, vel præstigiatorum incantamentis immitti posse. Impium quoq;, prodigiosorum & monstrosorum quorumlibet effectuum causas ad diabolum statim, ejusq; organa, sortilegos nimirùm, veneficos, præstigiatores, lamias, volaticas, pharmaceutrias, noctiuagas, sagas, atq; striges referre: quasi verò nihil novi, nihil rari, nihil monstrosi, nihil quod admirationem ac stuporem hominum mentibus incutiat, naturalibus ex causis generari humano in corpore posset. Et certarim sanè, pientißimos parentes ne quidem de maleficio aliquo cogitasse. Ab hujusmodi namq; suspicione procul dubio christiana religione probibebantur: quæ DEI verbo fundata docet, pios ac fideles, quorum in numero Adolescens noster fuit, habitare in adiutorio Altißimi: & in umbra Omnipotentis commorari: pennis ejus tegi: & sub umbra alarum

Psalm. 91.

ejus

ejus ſperare: Dominum eſſe ſcutum & clypeum illorum: non affligere eos malum: & flagellum non appropinquare tabernaculo eorũ: quoniam Dominus Angelis ſuis mandavit de ijs, ut cuſtodiant eos in omnibus vijs eorum.

Videamus modò, cum ſerpens neq; ſponte *ſua in corpus Adoleſcentis irrepſerit: neq; præſtigiatorum inſidijs in illud ſit immiſſus: & longo tamen tempore in illo habitârit: utrum in eo fuerit generatus: et ſi generatus, ex quanam materia generatus. Neceſſe enim eſt, ſiquidem generatus ſit, ex certa aliqua materia generatum eſſe: cum, ut celebratiſſimus Phyſicorum canon habet, ex nihilo nihil generari ſoleat.*

Mallem, Auditores ſpectatiſſimi, hîc rurſus judicium meum ſuſpendere: propoſitamq́; quæſtionem peritiores audire enucleantes: quàm certi aliquod determinare. Vice tamen cotis fungar: & licet exors ipſe ſim ſecandi: aliorum tamen mentes atq; ingenia acuam: anſamq; præbebo, ut re diligentiùs ponderata, veritas eluceſcat.

Suſpicor autem, ſerpentem in corpore Adoleſcentis genitum eſſe: & quidem vel ex materia extra corpus nata: ſed aut voluntariè & προαιρετικῶς

ϛεϊικῶς *assumpta: qualis est vulgatissimus ille serpentum pulvis, quo plurimi hodiè tùm ad capiendos impunè colubros & angues: tùm præcavenda expellendaq; venena utuntur: aut improvidè & inscienter hausta: cujus generis serpentum statui genitura potest: vel ex materia intra ipsum corpus producta: ut sunt humores maligni: quos Galenus in* μηκροτέχνη c. 99. & lib. 6. de loc. affect. c. 5. δηλητηρίȣς, *venenatos appellat.*

Ex pulvere autem serpentum ortum fuisse *serpentem Adolescentis, neutiquam mihi persuadeo. Primùm, quia pulverem illum nunquam degustavit: fortassis etiam ne quidem vidit. Diligenter enim, & sollicitè mihi apud parentes & domesticos inquirenti, nunquid serpentum venationibus, uti temerarij, & audaculi quidam facere consueverunt, indulsisset, sanctè affirmatum fuit; neq; serpentes tractasse unquam: neq; ut citra periculum capere eos posset, ullum pharmacum ex serpentum corpore paratum assumsisse. Imò plurimùm & à serpentibus, & ab araneis, & ab animalibus venenatis alijs naturà semper abhorruisse.*

Sed esto: hauserit pulverem serpentinum: & quidem

quidem non semel, sed sæpiùs: nascinè propterea serpens in corpore ejus potuit? Minimè gentium. Pulvis siquidem ille secundum recentiores non ex ouis serpentum conficitur: sed vel ex carne solùm, capite, cauda, pelle, visceribus, interaneisq; omnibus rejectis: vel ex carne, corde, & hepate: vel additis insuper spina atq; lingua: quemadmodum prolixiùs Andreas Libavius tomo secundo syntagmatis arcanorum chymicorum tract. 2. de alchymia pharmaceutica c. 13. *ex diversis monstrat authoribus. Atqui serpentes juxta Aristotelem ex ovis, tanquam ex propria & accommodata materia: non ex carnibus, spina, aut visceribus generationis suæ primordia capiunt. Certum enim ex certo: non quodvis ex quovis procreari solet in rerum naturâ. Quodsi ex commemoratis serpentum particulis serpens gigni posset: quid quæso ovis, eorumq; varia ac multiplici elaboratione in proprijs serpentum conceptaculis opus esset? Vt enim natura in necessarijs nunquã deficere: ita neq; in superfluis abundare consuevit. Huc accedit & altera ratio, quòd pulvis serpentinus ab omnibus serpentes fugare, eorumq; veneno potentißimè resistere dicatur.*

l. 5. hist. animal. c. vlt.

Arist. 3. part animal. c. 1. & l. 4. c. 11. 12 & 13.

Quomodo

Quomodo ergò quod ἀντιπαθείᾳ *quadam naturali serpentibus est inimicum, apta conveniensque illorum esse materia poterit? Inhiberet mehercule quod generare deberet: aut necaret quod gigneret: aut serpentes saltem veneno destitutos produceret: quo nostrum tamen serpentem minimè caruisse suprà probatum fuit. Et quot quaeso reperiuntur eorum, qui pulverem istum aliquoties devorârunt: in quibus tamen nullos serpentes genitos fuisse eventus declaravit? Quoties Medici theriacam aegrotantibus praescribunt, cujus primarium ferè ingrediens sunt trochisci ex viperarum carnibus conflati? Quoties salem theriacalem, qui praeter alia simplicia, Galeno* lib. de theriaca ad Pisonem c. vlt. *teste, etiam quatuor integras, easque adhuc vivas viperas recipit, idem in lepra, impetigine, vitiligine,* φθειριάσει, *& rheumaticis exhibuit affectibus?*

l. 29. nat. hist. c. 6. *Quid Plinius? Nonnè viperam integram cum sale in fictili novo comburit, & pulverem contra serpentum propinari venena tradit? An non coctum illius jecur ita à serpentum praeservare malignitate scribit, ut illud qui comederit, nunquam à serpentibus feriri asseveret?*

l. 30. nat. hist. c. 5. *An non crematae viperae cineres, septem diebus,*

quantum

quantū ternis comprehendi digitis potest, utiliter contra ſcrophulas ex liquore aliquo offerri dicit? Quid verò Aëtius? Nunquid non ſalem viperinum mirificè commendat: & contra arthritidem fructuoſiſsimè dari monet? Viperas ſanè humano in corpore natas compertum fuiſſet, ſi ex carnibus, ſpina, aut viſceribus earum viperæ generari poſſent. Neq; tantum viperas: verum etiam animalia alia, quorum partes ſingulis penè diebus tùm ad medicinalem uſum adhibentur: tùm ad victum præparantur: potiſsimùm verò aquatilia & volatilia; quòd eorum ovis ac genitura quotidiè ferè veſcamur.

Accedamus ad materiam ſecundo loco propoſitam: *& num deſcriptus ſerpens ex ouo forté ſerpentis, incauté cum aqua lacuſtri hauſto, procreatus ſit, inveſtigemus?*

Hiſtoriæ teſtantur, Auditores optimi, quarum multa præclara exempla Joannes Schenckius l. 3. obſeruat. medic. obſervat. 96. *ex varijs proponit authoribus, in quorundam hominum ventriculis ac inteſtinis bufones, & ranas propterea genitas eſſe, quòd æſtuantes, ſitis extinguendæ gratiâ, ex lacunis & paludibus, geni-*

 tura

tura earum imprægnatis, imprudentiùs bibissent. Et sunt sanè historiæ rationi maximè consentaneæ. Nam cum ova horum animalium glutinis instar viscida sint, & lentæ: facilè interiori rugosæ ventriculi: inprimis verò intestinorum tunicæ, ob crebros eorum gyros atq; anfractus, adhærent. Et quia naturam habent humanæ naturæ prorsus inimicam: à ventriculo quidem minimè concoquuntur: attamen à natiuo illius intestinorumq́; calore actuantur: facultate nimirùm plastica, quæ in ijs velut sopita priùs iacebat, exuscitata. Verùm, etsi hanc bufonum ac ranarum generationem in humano corpore libenter concedamus: eò quòd ova earum in paludibus & stagnis contineri manifestè videamus: quòdq; adeò parua & exigua illa obseruemus: vt cùm numero sunt pauca, & à continua reliquorum ouorum serie separata, credibile sit, facilè oculorum aciem fugere posse eorum, qui vrgente siti, aquam ex paludibus auidißimè hauriunt: neganda tamen in serpentibus videtur. Hi enim (de terrestribus loquimur, quorum in albo is quoq; fuit, quo de nobis in præsentiarum sermo instituitur) non in aquis: sed vel in cauernis subterraneis: vel in foßis: vel in arboribus

boribus excauatis: vel in fimetis: vel in rimis antiquorum murorum: vel aliis in locis habitant: ac propterea neq; oua sua in paludibus atq; stagnis excludunt. Quo ergò pacto cum aqua bibi inscienter poterunt? Adde quòd iustæ sint magnitudinis: vt neminem, nisi valdè etiam in clarissima lucē cæcutientem, latere queant: vt à nemine, nisi magna cum difficultate, integra deglutiri valeant.

Quapropter tertia superesse materia videtur: *intus scil. in ipso corpore genita: eaq; maligna ac venenata. Quæ et si falsa prima fronte, imò fortè & ridicula videri poßit: tamen, si in memoriā nobis reuocemus ea, quæ à Gal.* lib. 6. de loc. affect. c. 5. *dicuntur: & monumenta percurramus illorum, qui de monstris atq; prodigiis: itemq; de obseruationibus raris, nouis, & mirabilibus scripserunt, probabilis forsan, & à veritate non longè remota iudicabitur.*

Galenus quidem loco allegato venenum sponte humanis in corporibus nasci posse docet: idq; primùm exemplo suffocationis vteri probat: deinde argumento ex effectorum loco petito planum facit: quoniam experientia testatur, homines interdum eiusmodi affectibus corripi, qui ex

 illorum

illorum corporibus accepto originis suæ impetu similes sint ijs, qui perniciosi, lethalisq; veneni haustum sequuntur.

Idem cōment. 6. in l. 6. Epidem. Hippocr. t. 5. *repetit: vbi malignos dolores, non solùm à deleterijs pharmacis, & bestijs venenatis: sed etiam à virulentis succis, ex improbo victu, aut pestilenti aëris constitutione in corpore genitis, proficisci statuit.*

Galeno subscribit Fernelius, Medicus exercitatissimus, & Philosophus acutissimus, lib. 2. de abdit. rer. caus. c. 15. *suumq; placitum exemplo hystericæ strangulationis, epilepsiæ, febrium malignarum, cuiusdam palpitationis cordis & syncopes: sanguinis itē extra propria receptacula effusi, inq; grumum conuersi, lumbricorum in nobis putrefactorum: deniq; ciborum penitùs in corpore corruptorum confirmat. Quinimò idem quoque ex curandi methodo ostendit: quoniam, prisci artis medicæ proceres huiusmodi affectibus non vulgaria, & qualitatibus solùm elementaribus agentia medicamenta opposuerunt: sed alexipharmaca, quæ occultis, ac specificis operari virtutibus consueuerunt.*

Quare, si venenata in hominibus produci po-

test

test materia: quis absurdum & ridiculum dicet, si venenatum quoq; animal in eodem generari posse concludatur?

Huic sententiæ etiam Auicenna patrocinatur, l. 3. Canon. fen. 1. tract. 5. c. 8. *vbi inter cætera profitetur, epilepsiam à venenato aliquo vapore, vel ex corrupto menstruo: vel ex vitiato semine: vel ex alia aliqua virulenta illuuie, intus in corpore collecta, exuscitato, originem trahere.*

Eandem quoque amplexi sunt Auerroës 3. Collig. 9. *Valleriola* lib. 3. locor. commun. c. 17. *Trincauella* comm. in l. 1. Gal. de differ. febr. c. 4. *Thomas Rodericus à Veiga* comm. in cap. 7. l. 3. de loc. aff. Gal. *alijq; quamplurimi, silentio nunc breuitatis causa prætereundi: quorum quidam præter allatas modò rationes etiam hanc adducunt: quod quemadmodum in canibus, lupis, alijsq; nonnullis animalibus venenum quandoq; coaceruatur, cujus ratione in rabiem aguntur: ita à veritate haud sit alienum, si in homine etiam maligna procreari substantia dicatur: quæ modo malignorum morborum: modò venenatorum animalium causa existat.*

Verùm, missam faciamus rationem: & videamus quæso, an vnquam serpentes humano in corpore nati fuerint?

Conradus certè Gesnerus lib.2. hist. animal. c. de diversis lacertis *in fine refert, peruenisse anno 1551. ad manus suas historiam Viennæ impressam, qua significatum, anno 1549. circa D. Margaretæ festum, in Vngaria, propé pagum Zichsam, iuxta Theysam fluuium, in multorũ hominum corporibus serpentes ac lacertas, naturalibus similes, fuisse procreatas: quæ sæuissimis excitatis doloribus homines enecârint: adeò vt circiter tria millia hominum periisse ferantur.*

Quibusdam humi ad solem jacentibus lacertas atque serpentes per os aliquatenus se exeruisse: sed mox iterum in ventrem descendisse. Nobili verò puellæ diris cruciatibus extinctæ, cùm venter aperiretur, duos serpentes prodiisse.

Hujus historiæ etiam Wierus lib. 4. de præstigijs dæmon. c.16. *paucis quibusdam mutatis: nec non Ioan. Baptista Porta* lib. 2. Magiæ natural. c.2. *& Schenckius* in præfatione suarum observationum *meminisse videntur.*

Ambrosius Paræus, Gallorum Regis Chirurgus peritissimus, lib. de Infantum variolis, exanthematibus, vermibus, & elephantiasi c.3. *ex Conrado Lycosthene scribit, mulierem Cracouiæ, in platea, cui à S. Spiritu nomen est,*

anno

anno 1494. mense Septemb. mortuum fœtum enixam esse: cujus dorso viuus serpens inhæserit, cadauer arrodens atq; depascens.

Plinius notat l. 7. nat. histor. c. 3. *ancillam quandam inter Marsici belli initia serpentem peperisse.*

Idem Appianus Alexandrinus lib. 1. de bell. civil. *de muliere quadam narrat, quæ serpentem Romæ genuit.*

Idem de alia Lycosthenes lib. de prodigijs & ostentis *recenset, quæ anno 209. viperam pro infante edidit.*

Et Schenckius l. 4. observ. 230. *ex Iul. Obsequent. historiam allegat de matrefamiliâs, quæ L. Scipione & C. Norbano Coss. in Hetruria Clusij viuum serpentem procreauit: qui iussu tamen aruspicum in profluentem dejectus auersa aqua natârit.*

Aug. Iustinianus Episcopus lib. 5. annal. Januensium *dicit, anno 1491. Ianuæ Margaretam, Laurentij Valistari vxorem, serpentem genuisse alas habentem, eo loco, quo manus esse consueuerunt.*

Casparus Bauhinus in Appendice ad partum Cæsareum Francisci Rousseti memorat, vxorẽ

cuiusdam

cuiusdam bajuli, Annam Trompertin *cognominatam, puerulum vnà cum duobus serpentibus anno 1576. circa festum D. Ioan. Baptistæ hanc in lucem protulisse. Præceßisse tamen in partu fœtum: mox serpentes ordine, vrceo lactis pleno supposito, subsequutos. Hunc enim supponi sibi puerperam voluisse: quod partim propter morsus: partim propter mirabilem motum, quem toto perceperat anno, de serpentibus, aut vermibus suo in corpore esset suspicata. Fuisse autem serpentes maculis variegatos: vlnam longos: infantis pené brachium crassos: spoliasse misellum fœtum omni propemodum nutrimento: quam ob causam etiam valdé fuerit emaciatus: adeò vt vix oßibus hæserit. Matrem quidem habuisse pro certo, creatos sua in matrice fuisse ex serpentum spermate: quod anno partum prægresso, meßis tempore, æstuans ac sitibunda cum aqua, ex scaturigine fontis cujusdam in syluula hausta, bibisset. Id quod tamen à ratione alienißimum nobis videtur. Dictum namq; suprà fuit, serpentum oua neutiquam in aquis reperiri: (Aristoteles enim & Plinius docent, serpentes oua sua in terrenis incubare locis) grandiora quoq; esse, quàm vt insciјs bibentibus integra, sine aliqua*

l. 5. hist. animal. c. vlt. l. 10 hist. natur. c. 62.

difficultate

difficultate & molestia, deglutiri queant. Membrana quippè inter se cohærent: & Aristotele authore, foris ad monilis, hoc est, ornamenti muliebris, quod collum ambit, similitudinem contexta. Adde quòd in ventriculo potiùs, aut intestinis, quam in vtero fuissent à natura, illiusq; ministro, calore natiuo, formati. Quæ enim in potu continentur corpora solida, iustaq; magnitudine prædita, morari in ventriculo & intestinis: non ad matricis migrare cauitatem solent.

Quid dicam de animalibus alijs partim *per gulam & os: partim per aluum: partim per meatus vrinarios eductis: quæ licet, non, vt serpentes, venenata fuerint omnia: argumento tamen sunt certißimo, humores monstrosè nonnunquam corrumpi: ex ijsq; varij generis animalia á natura in μικροκόσμῳ generari: quemadmodū eadem ex putri materia in μακροκόσμῳ multiformia proferre animantia in more positum habet.*

Vidit Forestus scarabeos á puella per vomitum excretos. l.18. obs.19

Obseruauit Paræus viduam quadragenariam, initio paroxysmi febris tertianæ cum ma- l.24.c.19.

gna biliosi humoris vi tres villosos vermes, figura, colore, & magnitudine erucis similes, euomuisse.

l.5. Pathol. c.7.

Conspexit Fernelius in milite quodam, qui resimis naribus erat, ex fœdiore quadam illuuie diutiùs cohibita, duos pilosos vermes digiti instar illic genitos: qui tandem in furorem illum adegerunt: febreq; non admodum manifesta de medio sustulerunt die circiter vigesimo.

l. 2. de occult. nat. mir. c. 40.

Notauit Lemnius vermiculos caudatos, bestiolasq; insolita forma vomitu ejectas.

Idem Lemnius in cujusdam mulieris corpore animalcula soricibus & muribus similia deprehendit.

l.3. epist.

Nouit Gesnerus vetulam pleuritide correptam, quæ scarabei genus nigrum, pure vndiq; obductum, longis tùm pedibus, tùm cruribus, ijsq; flexibilibus atq; articulatis præditum, per aluum dejecit.

In annot. ad c 58. Benivenij de abdit. morb. cau. & sanat.

Scriptum reliquit Dodonæus, puellam nouem annorum vermes multipedes, ad erucarum accedentes naturam, aliquantò tamen breuiores, post pharmaci lumbricos pellentis vsum, viuos per aluum excreuisse.

Memoriæ prodidit Wierus, in vrinis eorum,

qui Venerea sunt lue infecti, sæpius minuta quædam animalcula, formicis, aut quæ æstate in aqua volutari cœlesti conspiciuntur, affinia innatare.

l. 4. de præstig. dæm. c. 16.

Literarum monumentis consignauit Cornelius Gemma, ab aluo puellæ Louaniensis, 15. annos natæ, multa sursumdeorsumq; planè monstrosa prodijsse. Inter alia autem cum fæcibus exturbatum animal viuum, sesquipedem longum, pollice craßius, anguillæ simile, nisi quod caudæ admodum esset pilosa.

l. 1. Cosmocrit. c. 6. & l. 2. Cosmocrit. c. 4.

Retulit Beniuenius, virum quadragenarium, repetito secunda vice vomitorio, magnam copiam putridæ atq; corruptæ materiei, & vnà quoq; vermem, 4. digitos longum, capite rubro, rotundoq;, craßioris pisi magnitudine, lanugine prima toto corpore obsito, cauda in crescentis Lunæ modum bifurcata, 4. pedibus, duobus anterioribus, totidemq; posterioribus ingredientem, per os eructasse.

Eduxit Thomas Moresinus in Anglia apud Norfolcios ex fœminæ cuiusdam stomacho beluam multipedem, nigram, agilem, caudatam, minoris lacertæ longitudinem æquantem, & flauescentibus maculis coloratam.

l. de caus. & transsubstant. metallor.

 Tradidit

l.8. sympos. probl. 9.

Tradidit Plutarchus Ephebum Athenis vermem pusillum, pilosum, & plurimis pedibus currentem multo cum semine eiecisse.

l. 2 histor. mirab. c. 26.

Significauit Marcellus Donatus, patritium Mantuanum vermem subrubrum, palmam longum, & bina cornua flexibilia, centumq́; pedes vtrinq; habentem euomuisse.

l. d. inter. morb. c 50. in scholijs.

Indicauit Iacobus Hollerius, quendam sibi literas ad Hispanum scriptas ostendisse, quibus consilium pro calculoso petitum, cui exturbatis aliquot calculis & arenulis, vermiculi duo, acuto corniculatoq́; capite, ventre ac dorso testula inductis, testudinis instar, suprà nigri, infrà punicei prodierint.

l. de dignosċēd. morbis c. 17.

Exposuit Rondeletius, Argenterium cum vrina emictum dracunculum alatum vidisse.

Quid memorem varias monstrosorum *animalium formas in VTERO mulierum ex sordidis putridisq́; humoribus proseminatas: & aliâs solas: aliâs cum mola: aliâs cum fœtu aptè decenterq́; fabrefacto exclusas?*

Notissimum est illud animal, & in hac nostra quoq; vrbe non ita rarum, quod Platearius fratrem Salernitanorum: Nicolaus Florentinus & Bernhardus Gordonius fratrem Lombardorum:

Torna-

Tornamira ex vulgi sententia Harpam: Alexander Benedictus Harpyā: Sauanarola, Bonaciolus, alijq́ Feram nuncupāt: quia olim ob multi prauiq́ sanguinis copiā, ex crebro fructuū, olerū, aliorumq́ mali succi ciborum esu contractam, Salerni & Lombardiæ fœminis frequens fuit: quia harpæ more, cujus Aristot: 9. hist. animal. c. 1. & 18. *nec non Plinius* l. 10. c. 74. *mentionem faciunt, & inter aues reponūt: alij verò in specie vulturis: alij lari: alij aquilæ genus constituunt, animal valdè vorax est atq; rapax: quia deniq; instar ferarū & harpyarum, quas Poëtæ Deas rapaces, furias, &, vt Eustathius interpretatur, dæmonia alata, quæ homines aufferrent, fingebant, fœtui alimentum subtrahit, eumq́ interdum prorsus è medio tollit.*

Trita est historia, quam L. Lemnius de Insulari quadam muliere recenset. Hæc siquidem rudem primùm indigestamq́ molem carneam: postea monstrū rostro adunco, tereti collo, oculis vibrantibus, cauda acuminata, eximiaq́ pedum agilitate præditum: tandem multo labore fracta fœtum masculeum, sedita malè mulctatum, & ab isto monstro excarnificatum enixa est: vt statim à sacro baptismatis fonte fato concesserit.

l. 1. de occul. natur. mirac. 8.

 Cogni-

l.4. de præstig. dæm. c.16.

Perspectum, quod Wierus de fœmina Coloniensi refert: quæ anno 1562. mense Majo, postquam puellam 6. mensibus lactasset, animal fibrosum, grandioris erucæ longitudine, dorso glabro, ventre albicante, capite corneo, nigroq́; oculis lapidi gagati similibus, ore hiulco, ceruicis initio tribus aculeis, aut veriùs vncis, vtrinq; asperis, quibus quæcunq; vellet, amplectebatur, seseq; attollebat, armato, in lucem edidit.

Cōment. in Rhas. c. de Mola: quod est 29.

Cognitum, quod Matthæus de Gradibus de animali alato, in matrice cuiusdam mulieris progenito scribit. Hoc enim postquam exclusum esset, protinus volasse dicit.

l. de curat. ægrit. part. c. de Mola.

Vulgare, quod Marcus Gattinaria de muliere Papiensi sibi visa proponit. Ea siquidem prægnantem se esse putans, tandem post 12. menses frustum carnis satis magnum, vnà cum frustulis alijs, ijsq́; benè multis, emisit. Neque carnes solùm: sed & animal tincæ pisci persimile: dorso obscurè virens: ventre rubens: erinacei instar sese complicans atque contrahens: adeò duro densoq; corio tectum, ut cultro, gladioúe vix dissecari potuerit.

l.1. d. inter. morb. c.61 in scholis.

Obuium, quòd Iacobus Hollerius de fœmina Parisiensi narrat: quæ cum 9. mensium spatio

vterum

vterum gestasset, omnibus, quæ in legitimo partu euenire solent, mirificè respondentibus, tandem nihil aliud, præter animalia quædam à ranis haud aliena, cum multis purgamentis sanguineis atq; corruptis ex se dedit.

Manifestũ, quod Iohannes Schenckius de Sartoris cujusdam Coloniensis vxore in medium adfert: quæ magnam astacorum copiam est enixa. l. 4. obseruat. 23.

Quid miram vermium varietatem in medium *proferam, qui in intestinorum cavitate formantur, aluntur, atq; augentur? Frequentissimi, omnibusq; visi sunt illi, quos Hippocrates* ἕλμινθας ϛρογγύλας, *lumbricos teretes atq; rotundos vocat.* Aphor. 26. sect. 3.

Non obscuri, qui vermiculis in putri caseo genitis assimilantur: & ab eodem ἀσκαρίδες: *nominantur.* Ibidem.

Noti, quos Græci πλατέας: *Latini latos, & cucurbitinos, quòd effigiem seminis cucurbitæ repræsentent, appellant.*

Rari quidem, minimè tamen incogniti, quos Galenus κηρίας καὶ ταινίας *nuncupat: quoniam vittis & fascijs mulierum, quibus capillum vinciunt, similes existunt. Adeò longi, ut, eodem authore, per omnia quandoq; intestina extendãtur.* In Introd. c. 13. com. aph. 26. sect. 3.

Quid

Qvid vermes alios, qui in vulneribus & *vlceribus externarum partiū neglectis, minusq́ probè detersis ac mundificatis: itemq́ in capite, auribus, naribus, dentibus, pulmonibus, renibus, vesica, vtero, membris alijs, ex putri nascuntur illuuie attingam? Infinita mehercule illorum exempla apud practicos tàm antiquos, quàm neotericos extant: quæ breuitatis studio latere nunc patior. Neq́ verò eorum tantùm exempla reperiuntur, qui certas duntaxat particulas obsident: sed etiam illorum, qui vniuersum corporis habitum occupantes lucis vsura homines miserrimè priuârunt: quemadmodum cumprimis apud M. Donatum* lib. 1. de hist. mirabili c. 5. *videre licet.*

Qvid deniq; pediculorum genera producam? *In confesso est apud omnes, & varia esse: & non solùm partes pilosas: cutim scil. capitis, palpebras, supercilia, mentum, axillas, atq́ pudenda infestare: sed etiam corpus totum: vnde affectus* φθειρίασις *cognominatus, quo plurimos perijsse idem Marcellus Donatus ibidem multis exemplis, ex grauissimorum authorum monumentis depromptis, planum facit.*

Ex quibus omnibus luce meridiana clarius

apparet,

apparet, nugas & fabulas neutiquam esse, si serpentes ex maligna venenataq́ materia, in corporis claustro genita, procreari dicatur: cum αὐτοψία *monstret: & experientia, optima rerum magistra, abundè doceat, etiam plurima alia animalia, partim quidem virulenta: partim verò uenenositatis expertia: æquè tamen monstrosa, in eodem ex putridis planèq; corruptis humoribus generari. Solet enim natura, inquit Aristoteles* l. 4. de partib. animal. c. 2. *vel excrementis interdum suis abuti: nihilq́, vt idem* l.2. de generat. animal. c. 4. *habet, perinde ac prudens paterfamiliâs amittere, ex quo aliquid efformare valet. Quare, si vitiosos in corpore humores offendit, quos neq; in alimoniam illius convertere: neq; ad meliorem statum redigere: neq; tempestiuè expellere potest: tūc pro qualitate materiei, & conditione loci, peregrina quandoq́ producere animalia consueuit: hujusq́ ad operis perfectionem ministerium natiui caloris adhibet: qui materiam præparando, certisq́ modis disponendo, efficiat, vt sopita illius* δύναμις *excitetur: & in actum deducatur. Neq; absurdum videri debet, quod ex recrementis, & superfluitatibus fœdis animalia nasci statuamus:*

I quan-

quandoquidem Aristoteles ipse l. 3. de generat. animal. c. 11. ἐν τῷ παντὶ θερμότητα ψυχικὴν ὑπάρχειν· καὶ ὥστε τρόπον τινα πάντα ψυχῆς εἶναι πλήρη: *omnibus vitalem inesse calorem: omniaq; vitæ quodammodo plena existere asseveret.*

Quodsi *quis obijciat, tamen antea ex Aristotelis dictum fuisse sententia, serpentes ex ovis, tanquam ex propria ac convenienti materia, provenire: quomodo ergò ex humoribus putredine inquinatis orientur? Respondeo, non unam eandemq; omnium serpentum esse materiam: sed variam ac multiplicem. Plerosq; generari ex ovis: quosdam verò ex substantia alia. Id quod etiam in murium, glirium, ranarum, bufonum, lacertarum, apum, muscarum, scarabeorum, vesparum, crabronum, pulicum, pediculorum, & quorundam aliorum animalculorum generatione fieri cernimus: quorum quædam ex genitura propria: alia ex putredine propagari quotidiana observatio docet. Imò eandem quoq; rationem in plantarum procreatione Theophrastus* l. 1. de caus. plantar. c. 1. & 5. *notat: & experientia ocularisq; inspectio quotidiè cōfirmat. Videm⁹ enim stirpes quasdam utroq; modo, & semine, & sponte provenire: nempe ex succo aliquo terræ à vivifico solis calore mutato, peculiariq; modo disposito.* Quod

Quod autem serpentes non ex ouis solùm, à similibus sui generis serpentibus exclusis: sed etiam ex materia alia reuera producantur: præter historias suprà allegatas, Plinij quoq; probat authoritas: qui lib. 10. hist. nat. c. 66. *à multis sese accepisse scribit, anguem ex medulla spinæ humanæ gigni. Pleraq; enim occulta & cæca origine nasci. Cui sententiæ etiam Plutarchus in vita Cleomenis suffragatur, inquiens: ex putrefacto bovis cadavere apes: equi vespas: asini scarabeos: in humano autem corpore ex confluente sanie, quæ circa medullam est, & in unum coalescente, serpentes generari. Hinc Ovidius* l. 15. Metamorphos. *canit:*

Sunt qui cum clauso putrefacta est spina sepulchro,
Mutari credant humanas angue medullas.

Hûc accedit & Caroli Stephani, Medici eminentißimi, testimonium: qui l. 7. Agricult. c. 1. *tradit, serpentes in luporum senio confectorum renibus reperiri: & progressu temporis ita fieri virulentos, ut lupos tandem interimant: testaturq;, se aliquando vno in rene duos observâsse serpentes: quorũ alter pedis: alter pollicis æquârit longitudinem.*

Macrobius refert, in Ægypto ex terra & imbre mures: alijs verò in locis ranas atq; serpentes exurgere. l. 7. Saturnal. c. vlt.

 Avi-

Auicenna docet, ſerpentes ex mulierum capillis, qui productiores humidioresq́ ſint naturâ, oriri.

Ioannes Baptiſta Porta l. 2. Magiæ natural. c. 2. *in ſpecie ex capillis menſtruatarum eos fieri monet: itemq́ ex ſetis jubæ equinæ fluenti aquæ expoſitis. Se enim, & quoſdam amicorum ſuorum obſeruaſſe, paucis poſt diebus fuiſſe animatas: idq́ ex illarum motu haud obſcurè colligi potuiſſe.*

Multi perhibent, ex ſetis equarum, quæ admiſſarijs iunguntur, ſerpentes gigni: & in illorum quidem corporibus, qui imprudenter & incautè eas cum aqua fortè hauſerunt.

Ambroſius Paræus libro operis ſui 24. *hiſtoriam de monſtro recitat notatu digniſſimam, quod medio intimoq́ in ovo inventum: facie quidem humana: ſed capillitio colubris vndiq́ horrente: & mento tribus alijs colubris vibratis, veluti barba germinante. Conſpectum fuiſſe primùm Auguſtodini in ædibus Bancheronis cauſidici, cum ancilla ova multa frangeret butyro incoquenda. Albumem feli exhibitum repentinam intuliſſe mortem. Monſtrum in manus demùm Baronis Senecij perueniſſe:*

&

& ad Carolum IX. Gallorum Regem, Meti agentem, missum.

Vulgus in tota penè Europa ea est opinione imbutum, vt gallum decrepitum æstiuis mensibus ovum proferre credat: ex quo, si in fimo calido foueatur, serpens tandem venenatissimus, quem Basiliscum vocat, excludatur. Neque vulgus tantùm ita sentit: sed etiam naturaliũ rerum scriptores clarissimi hanc opinionem amplectuntur: vno Alberto Magno excepto: qui generationem hanc falsitatis & impossibilitatis insimulat. Leuinius verò Lemnius lib. 4. de occult. nat. mirac. c. 12. *eam quidem fabulosam & commentitiam pronunciare minimè audet: hoc tamen profitetur: cùm gallus à concumbendi vsu ac consuetudine desueuit, semen in illius corpore retineri, putrescere, tandemq; coagulari, atq; in ovum indurescere. Quod vbi à gallo ipso: vel animante alio, quale bufonem plebeij statuunt, foueatur, venenatum ex eo vermem, aut aliam quandam virulentam bestiam prodire, quam Basilisci nomine designant.*

Sed quid pluribus verbis, longioriue probatione opus est, Auditores? An non sacræ indigitare literæ videntur, ex putrefacto hominis cadauere

dauere serpentes procreari? Quid superbit, inquit Ecclesiasticus cap. 10. *terra & cinis? Hodiè Rex est: & cras morietur: cumq; mortuus fuerit homo, & serpentes, & bestias, & vermes hæreditabit. Quod dictum Clariss. Camerarius* centur. 1. horar. succis. c. 11. *vino elegantiq; admodum exemplo illustrat. Adolescens, ait, nobili loco natus, ea fuit corporis venustate ac pulchritudine, vt omnium suæ ætatis mortalium formosissimus putaretur. Is, cùm in lethalem incidisset morbum, nullis exorari precibus poterat, vt effigiem suam vel depictam, vel sculptam posteritati relinqueret. Tandem hoc solùm sanguine iunctis concedebat, vt posteaquam terræ esset mandatus, plusculos post dies sepulchrum aperirent: & cadauer ea depingi forma curarent, qua invenirent. Quid accidit? Sepulchro aperto, visa fuit facies à vermibus semiconsumpta: repertiq; circa diaphragma, & spinam dorsi serpentes plurimi. Vnde rectissimè D. Bernhardus dixit:* Hominem nihil esse aliud, quàm sperma fœtidum: saccum stercorũ: & escam vermiũ. *Itaq;* hac quæstione relicta, ad tertiam transeamus: *& quanam in corporis parte serpens genitus educatusq; sit indicemus.*

Ne-

Necesse autem est, siquidē in corpore natum defenderimus, vel in ventriculo: vel intestinis natum esse. Nam cum Adolescens capto cibo: & cumprimis hausto lacte, ac poto vino habuerit meliùs: cumq́ue oris halitus eiusmodi spirârit odorem, qualem spirare serpentum habitationes solent: rationi consentaneum videtur, serpentem in illis resedisse partibus, quæ ingesta cibaria primæ excipiunt: quæq́ue oris halitum præ cæteris alterare queunt. Tales verò ventriculum & intestina esse, neminem, nisi anatomes prorsus ignarum, negaturum existimo. Atqui in ventriculo genitum non fuisse, tùm authoritate Aristotelis: tùm ratione probare licet. Authoritas Aristotelis in fine c. 3. lib. quarti Meteor. extat: vbi apertè dicitur, τὸ ζῶον οὐκ ἐγγίνεσθαι ἐν τῇ πέψει, ὥσπερ τινὲς φασὶν· ἀλλ᾽ ἐν τῇ ἀποκρίσει σηπομένῃ ἐν τῇ κάτω κοιλίᾳ: animal non in ipsa concoctione generari, vt quidam ajunt: sed in excrementis, quæ in aluo putrent inferiore.

Quodsi ergò nullum animal in genere ἐν τῇ πέψει, quæ eodem Philosopho authore ἐν τῇ ἄνω κοιλίᾳ, in ventriculo perficitur, generatur: sed tantùm ἐν τῇ ἀποκρίσει σηπομένῃ, quæ vti dictum, ἐν τῇ κάτω κοιλίᾳ: vel, vt lib. 3. de partib. animal. c. 13.

Aristot:

Aristoteles loquitur, ἐν τῷ καλουμένῳ ἐντέρῳ, in intestino fieri cōsueuit: sequitur, neq; in specie serpentē in ventriculo locum generationis habere posse. Quæ enim de genere negantur: ea quoq; de specie negari Logicorum regulæ dictitant.

Ratio verò talis est: quia si productus in ventriculo fuisset serpens: procul dubio prima concoctio laborâsset: & gravia symptomata, v. g. nausea, vomitio, leipothymia, syncope, cardialgia, epilepsia, hisq; similia alia sine intermißione afflixissent. Habet namq; ventriculus maximum cum corde ac cerebro consensum: & ratione orificij superioris exquisito tactus sensu pollet: ipse verò serpens motu & malignitate sua innoxius esse nequivisset.

At verò primam concoctionem non magnoperè fuisse læsam, inde constat: quoniam Adolescens probè nutriebatur: &, ut ipsimet significârunt parentes, intra sesquiannum, quo à serpente fuit obsessus, majus corporis sui incrementum capiebat, quàm annis, qui prægreßi, pluribus. Symptomata quoq;, ac præsertim epilepsiam, non indesinenter & continuè ursisse, patet ex eo, quoniam superiori tempore quatuor mensibus ab epilepticis convulsionibus liber fuit: licet

postea

poſtea ſingulis menſibus, & ſingulis ferè 14. diebus illas ſenſerit: quemadmodum ijdem parentes confeßi.

Libenter quidem conceſſerim, ſerpentem ad ventriculum nonnunquam ſeſe contuliſſe: & quidem vel pabulo in inteſtinis deſtitutum: vel dulcedine aſſumptorum allectum: vel ἀντιπαθείᾳ *materiei in inteſtinis collectæ, aut aliunde ad illa transmiſſæ, fugatum. Hoc enim & lumbricos quandoq; facere, quotidiana praxis oſtendit. Non facilè tamen crediderim, ſerpentem ob id in ventriculo ortum eſſe. Nam ſi omnia, quæ in ventriculo viſuntur, nata quoq; in eodem dicere vellemus: ſtatuendum profectò foret, etiam vermes in ventriculo gigni: propterea quòd obſervati aliquando ab Anatomicis inibi fuerint. At vermes non in ventriculo: ſed in inteſtinis vitæ capere primordia, unanimi conſenſu Ariſtoteles, Galenus, Actuarius, Paulus, & Aëtius fatentur: rotundos quidem & longos in inteſtinis gracilibus: aſcaridas potißimùm in recto: latos in pleriſq;, aut omnibus. Itaq; veritati conſentaneum videtur, etiam deſcriptum ſerpentem in inteſtinis tùm formatum: tùm majori ex parte nutritum fuiſſe.*

Et cur quæso in ijs factus sustentatusq; non fuisset: cum cloaca quasi sint, & publica totius corporis sentina: cum materia pro generatione, & alimonia pro nutritione atq; accretione in ijsdem sese obtulerit copiosa, apta, atq; disposita: cum corpora sint longa: multisq; gyris, anfractibus, & circumvolutionibus intorta: adeò ut materia vtraq; diu in illis hærere potuerit: cum deniq; cava atq; ampla, ut ejusmodi animal commodè inibi tùm nascendi, tùm habitandi diuersorium habuerit?

Ad quartam quæstionem properemus: *& cum ueneni participẽ esse serpentem probauerimus, quomodo tamdiu sine internecione Adolescentis, aut gravioribus saltem symptomatibus immorari in illius corpore potuerit, declaremus?*

Variæ autem ac multiplices hujus rei causæ esse videntur, Auditores excellentißimi.

Prima *fortè serpentis natura fuit: qui secum quidem venenũ: at debilius hebetiusq; fouebat. Magnam siquidem serpentum veneni ratione differentiam esse apud omnes liquidò constat.*

Alij

Alij virulentißimi sunt: ut BASILISCUS, serpentum, vel ob caput diademate redimitum: vel ob terrorem, quem Regis instar cunctis incutit serpentibus: vel ob sævitiam atq; tyrannidem, quam in eos exercet, veluti Regulus: qui, authore Galeno ita perniciosus est: ut solùm visus, auditus, & post mortem contrectatus, necem inferre dicatur, Imò adeò venenatus, ut Solino teste, etiam terram, quam inhabitat, virulentia sua inficiat: herbas extinguat: arbores necet: aërem corrumpat: ut nulla alitum ipsam impunè transuolet: utpote pestilenti spiritu inquinatum.

l. d. Theri. ad Pison. c. 8.

Deinde DRYINUS, in cauernis quercuum, à quibus nomen accepit, propè radices victitans: summè fœtidus, ut etiam non visus fœtore loci cognoscatur: qui demorsos graviter olere facit: supra se transeuntium pedes excoriat: crura in magnum tumorem attollit: ac, quod admirabile adhuc magis est, medicantium manus cuticula priuat.

Tertiò HÆMORRHOUS, à sanguinis fluxu appellatus: eò quòd ictos sanguinem per aluum deijcere: per vrinæ ductus mingere: à pulmonibus extußire: ex uentriculo uomere:

per fauces excreare: deniq; per nares & aures: inprimis autem per cicatrices reddere cogat. Has enim, etiamſi conſenuerint, in percuſsis rumpi, & recrudeſcere, Nicander, Dioſcorides, Avicenna, Aëtius, & Ælianus aſſeverant. Quodſi Hæmorrhois fœmina vulnus inflixerit, cruor tùm ex locis modò recenſitis: tùm ex angulis oculorum, gingivis dentium, & vnguium radicibus manat: gingiuæ putreſcunt, atq; fœtent: dentes deniq; excidunt.

Quartò DIPSAS, Iſidoro SITULA: Dioſcoridi PRESTER, & CAUSON, ab effectu: alijs à caudæ nigredine MELANUROS dicta: quæ dolores creat intolerabiles: ardores accendit inextinguibiles: humiditates abſorbendo ſitim excitat inexplebilem.

Quintò ACONTIAS, aliàs JACULUS, & ſerpens jacularis, ἀπὸ τοῦ ἄκοντος, ἢ ἀκοντίου, *à telo, ſiue jaculo cognominatus: quòd ſecundū vias latitans, ſæpè etiam arborum ramis inhærens, valdè ſe extendendo, teli, aut ſagittæ inſtar, in prætereuntes proſiliat, eosq; morſu lethali, quem putrefactiones, & defluxus carnium conſequuntur, occidat.*

Sextò CERASTES, ſerpens cornutus, à corni-

à cornibus, quæ in fronte gerit, vocatus: cujus morsus juxta Nicandrum plerunque sunt mortiferi. Ab his enim, inquit Dioscorides, sanies profluit, modò atra: modò pallida: locus affectus attollitur: induratur: pustulis scatet: genitale intenditur: mens labat: oculorum exoritur caligo: rigor deniqué neruorum superuenit: quem mors excipere solet.

Septimò AMMODYTES, à verbo δύειν, *quod ingredi & subire significat:* καὶ τοῦ ἄμμου, *h. e. à sabulo, siue arena, nuncupatus. Arenæ namque concolor est: eique, teste Avicenna, se insinuat. Morsu vehementissimum parit dolorem: tumorem in parte læsa excitat maximum: ex quo virus fluit: necatque secundum Aëtium festinè: & juxta Mathiolum interdum spatio trihorij: plerunque die tertio: longissimè septimo: cum nimirum percussus validioribus naturæ viribus est instructus: sic decernentibus Avicenna, Aëtio, & Olao Magno.*

l. 4. fen. 6. tr. 3. c. 49.

Octauo SEPEDON, παρὰ τὸ σήπειν, *à putrefaciendo appellationem sortitus: serpens exitialis, & incredibili celeritate venenum in uniuersum corpus diffundens: adeò ut membra putredine tandem infecta diffluant, solutaque dilabantur:*

Nicand. in Ther.

labantur: pili decidant: & corpus vitiligine deformetur.

Nonò CENCHRINE, ἀπὸ τοῦ κέγχρου, à milio nomen adeptus: unde & serpens miliaris à quibusdam dictus: quia, vt Lucanus interpretatur, maculis magnitudine & colore milio similibus vniuersum corpus respersum habet: leonis in morem ferox & crudelis: ex quo leonis titulum sibi vendicauit. Morsu namq; suo, inquit Dioscorides, putridum vlcus facit: corpus velut hydropicum reddit: lethargo affligit: & hepar cumprimis: intestinũ jejunum: (Paul⁹ habet vesicam) atq; colon destruit, ac corrumpit: id quod Erasistratus in dissectionibus obseruauit.

Decimò tres ASPIDIS species: CHERSÆA, siue terrestris: quæ loca incolit mediterranea: CHELIDONIA, siue hirundinacea, & aquatica, quæ circa fluviorum, ac potissimùm circa Nili ripas sua habet latibula: hirundinumq; modo in dorso nigro: circa ventrem verò albo picta est colore: & PTYAS, siue SPUENS: quæ authore Galeno, ac si ratione prædita esset, æstimata intervalli distantia, eò vsq; collum extendit, vnde possit præter-

Aëtius.

l. d. Ther: ad Pis. c. 8.

prætereuntibus venenum commodè in oculos & vultum expuere. Horum serpentum venenũ adeò noxium est, vt secundum Aëtium, Ælianũ, & Olaum trihorij, aut ad summum quadrihorij interuallo hominem jugulet. Id quod Ambrosius Paræus exemplo cujusdam circumforanei probat: qui, quò carius pharmaca sua vendere posset, aspidi digitum suum mordendum exhibuit.

Consequitur autem ad Chersææ & Chelidoniæ aspidis morsum stupor, pallor, refrigeratio, oscitatio assidua, palpebrarum nictatio, capitis grauitas, corporis totius pigrities & ignauia: collapsio in somnum profundum, tandem conuulsio. Ad sputum verò Ptyadis oculorum succedit caligo, cordis dolor, faciei tumor, auditus corruptio, & juxta Auicennam sensus motusq; priuatio. Aëtius.

Alij serpentes mitiores sunt: *minusq; lethiferi: inter quos Galenus VIPERAS collocat. Nos ijs AMPHISBÆNAS, angues vtrinq; grados, seu in vtranq; partem repentes; & CÆCILIAS, siue CÆCVLAS nostras, quæ Græcis* τύφλωπες, & τυφλῖναι *vocantur: quòd scilicet oculos habeant* Ibidem.

ad

ad videndum malè dispositos: vt exponit Ælianus: vel quòd oculis careant, vt sentit Isidorus: vel quòd talparum instar cacæ sint, quemadmodum Scaliger interpretatur, adnumeramus.

l. 6. de mat. med. c. 38.

Docet namq; Dioscorides, Cæciliæ & Amphisbænæ morsus consimilia accidentia viperinis morsibus inferre: ijsdemq; ferè remedijs sanari: ac propterea venenum earum priuatam descriptionem sortitum non esse: neq; visum dignum, quod alio genere comprehendatur.

Ad hoc secundum serpentum genus haud absurdè SCYTALA referri potest; ἀπὸ τῆς σκυτάλης, *à manubrio ligneo, cui ligo est affixus, denominationem nacta: velut Nicander in Theriacis explicat.*

Bifronti (inquit) similem reperis scytalam Amphisbænæ:
Pinguior est tamen, & cauda, quæ nulla ferè exit,
Crassior, vt quantum solita est comprendere lignum,
Curva manus strictum quoties tenet ipsa ligonem.

Hùc quoq; HYDRUS pertinet: anguis palustris & fluviatilis: qui, quòd aquis innatet, NATRIX: & quia tàm in terra, quàm in aqua degit, CHERSYDRUS nominatur. Hujus formam, habitationem, & victum, Poëseos ille Sirenophoenix Virgilius præclarè his versibus describit:

l. 3. Georgicor.

Est

Eſt etiam illi malus Calabris in ſaltibus anguis,
Squamea convoluens ſublato pectore terga,
Atq; notis longam maculoſus grandibus alvum:
Qui dum amnes vlli rumpuntur fontibus,& dum
Vere madent vdo terræ ac pluuialibus auſtris,
Stagna colit, ripiſq; habitans hic piſcibus atram
Improbus ingluuiem ranisq; loquacibus explet.
Poſtquam exhauſta palus, terræq; ardore dehiſcunt,
Exilit in ſiccum, ac flammantia lumina torquens
Sæuit agris, aſperq; ſiti, atq; exterritus æſtu
Voluitur ad ſolem & linguis micat ore triſulcis.

Virgilius 3. Georg.

Alij deniq; adhuc obtuſius hebetiuſq; *venenum ſecum gerunt: cujus generis ſunt MYAGRI: quos Nicandri ſcholiaſtes* μυοθύρας, *murium venatores: Ariſtophanes* ὄφεις οἰκουροὺς, *ſerpentes domeſticos vocat. Adhæc SPATHIVRI: ſic fortè appellati, quòd ex capite & trunco latiore, ſpathæ inſtar, in* οὐρὰν, *caudam tenuem deſinant: vel quòd* σπάθης, *enſis modo in mucronem, ſeu caudam mucronatam terminentur. Deniq; CARBONARII, ab atro colore titulum nacti: muſcis ac muribus infeſti: vnde & ipſi Myagri à quibuſdam nuncupari ſolent.*

Secunda cauſa *referri forſan in nutrimentum & habitationem ſerpentis noſtri poteſt.*

Quod enim pro nutrimentorum & nata-

lium locorum ratione haud mediocriter tùm animalium, tùm plantarum corpora mutentur, non ſolùm quotidiana monſtrat experientia: verùm etiam grauiſſimi authores exemplis quibuſdam declarant.

Ariſtoteles certè ictus ſerpentum pro locorum varietate plurimùm differre perhibet.

Exer. 189. ſ. 5.

Scaliger ſcorpiones quibuſdam in regionibus mortem adferre: alibi innoxios eſſe dicit.

l. d. hirud. cucurb. &c

Galenus hirudines humano ſanguine nutritas virulentiam ſuam deponere affirmat.

Scalig. exercit. 212.

Cardanus ait, *nutricum ingenia ſimul cum lacte ab alumnis exugi: feraq; animalia cicurari, ſi ſtatim, ubi nata ſunt, vel humano, vel canino lacte lactentur: huncq; ad modum etiam Tigres manſueſcere.*

l. 2. c. 183. de mat. med.

Dioſcorides Chelidonio minori Græciæ acrem & exulcerantem aßignat qualitatem: cum tamen quod in Germania creſcit, eadem prorſus careat.

l. 2 d. alim. fac. c. 63.

Rurſus Galenus aſſeuerat, Arum minimum habere acrimoniæ Cyrenis: adeò ut radix illius vel rapis vtilior reputetur: eorumq; modo comedatur, fiatq; corpori alimentum accommodatiſsimum: in Aſia verò longè acrius eſſe: & vim

l. 6. ſimpl. & propr.

medica-

medicatricem præ se ferre. In Germania sanè nostra acerrimum est: linguam vrens, & fauces exulcerans: ita ut botanographi quarto illud ordine calidum statuant.

Plinius inquit, Cicutam venenum esse: publicam Atheniensium poenam inuisam: in quibusdam tamen locis perniciosiorem: in alijs hebetiorem. Maxima vi pollere Susis Parthorum natam: mox Laconicam, Creticam, Asiaticam. In Græcia verò Megaricam: deinde Atticam.

l. 25. nat. hist. c. 13.

Theophrastus scribit, helleborum in monte Oeta crescentem vehementia Parnasiacum superare: Persicam in Ægypto, locisq; vicinis fructificare: in Rhodo solùm florere: Palmam apud Babylonem fructu mirum in modũ abundare: in Græcia ne fructum quidem maturare: & apud nonnullos nullum omninò ostendere: Populum in Arcadia sterilem esse: in Creta plurimas nigras ejusdem arboris species fructum ferre: Centaurium in Elio agro, quod montosis editur locis, foecunditate esse conspicuum: sterile contrà, & flosculo tantùm gaudens, quod planis nascitur: quod concavis, ne florere quidem, nisi improbè: Ilices & Alnos quibusdam in regionibus

l. 6. d. caus. plant. c. 20.

l. 3. d. hist. plant. c. 5.

Ibidem

Ibid.

7. histor. plant. c. 4. 8. histor. plant. c. 7. 8. histor. plant. c. 4.

nibus impragnari prole: in alijs nullam penitus gestare: Olera translatione meliorescere: arbores vrbanas & speciosiores esse syluestribus: & fructus dare suauiores: Triticū plura habere genera, cognomina ex locis sortita: vt Africum, Ponticum, Thracium, Assyrium, Ægyptium, Siculum: quæ & colore, & magnitudine, & specie, & proprietate inter se differant: Frumenta atq; legumina in alijs regionibus citiùs: in alijs tardiùs ad perfectionem maturitatemq; peruenire: semina meliora, deterioraue túm cultura, túm terræ naturâ fieri. Syluestrescere enim, ac mansuescere arborum modo: atq; in totum permulta tellure protinus vt arbores deteriús venire. In summa, stirpes & arbores ob loca cœlumq; ambiens steriles & fœcundas: florigeras & florum expertes: perpetuò virentes, & folijs orbas reddi: hincq; accidere, vt circa agrum Elephantium neq; vitibus pampini: neq; ficubus frondes decidant. Itaq;, si loca natalia alimentaq́; tantum habent in plantas & animalia virtutis ac potestatis, vt non mediocriter corpora eorum alterare valeant: quid mirum, si descripti quoq; serpentis venenum bonitate eduliorum & salubritate loci, quo in longa temporis mora

viuebat,

viuebat, fuerit quodammodo repressum, mitigatum, obtusiusq́; factum?

Tertia causa *consuetudini ascribenda videtur. Quæ enim longo tempore consueta sunt, inquit venerandus noster senex,* aphor. 50. sect. 2. *etiamsi deteriora sint, insuetis minus molestare solent.*

Cum Mithridates, Ponti Rex, à Pompejo victus esset prælio: maluit veneno mori, quàm in Romanorum potestatem venire. Quare toxicum hausit: idq́; sæpiús reiterauit. Verùm nihil, inquit Galenus, inuenit, quo necari posset. l. 1. de antidot. c. 1.

Quæ obsecro hujus euentus causa fuit, Auditores? Causam Galenus vnam ibidem adfert: quotidianum scilicet confectionis suæ, contra quæuis venenorum genera paratæ, vsum. Verùm, & alteram nobis addere licet: crebrum videlicet, frequentemq́; venenorum haustum: quo adeò familiaria illa sibi reddidit, vt nil ampliùs damni ab ijs accipere posset.

Est enim consuetudo, inquit Aristoteles, naturæ similis: quia quod sæpè fit, affinitatem cum eo habet, quod semper. At consuetudo illius est, quod sæpè: natura verò eius, quod semper accidit. 1. Rhetor. c. 11.

Et in Philosophorum scholis tritum atq; vsitatum est axioma, à consuetis paßionem minimè fieri.

l. 9. hist. plant. c. 18.

Quod dicimus egregiè Theophrastus calculo suo confirmat. Venenorum enim vires consuetudine debiliores fieri: imò & in nonnullis omninò inertes, exemplo Thrasyæ, Eudemi, cuiusdam pharmacopolæ, quorundam pastorũ, & multorum aliorum planum facit: qui quotidie integris hellebori manipulis deuoratis nihil quicquam sunt offensi. Et Galenus l. 3. simpl. c. 18. *scribit, anum quandam Atheniensem, cujus apud omnes percelebris erat memoria, auspicatam à minima cicutæ portione, ad magnam illius copiam, nullo detrimento, progressam esse: propterea quòd consuetudine, quæ plurimum potest, ac ob id altera ascititiaq; natura à veteribus cognominata fuit, naturalem sibi tandem cicutam fecerit.*

Quarta causa *fortaßis fuit, quòd quamdiu serpens apud Adolescentem commorabatur, venenum omne non deposuerit. Si enim deposuisset totaliter & perfectè: proculdubio illa symptomata subsequuta fuissent, quæ subsequuta post illius egressum domestici narrârunt: tumor scilicet*

ſcilicet atq; durities ventris inſignis: & natiui coloris mutatio mirabilis.

Quinta & vltima *ſerpentis alexipharmaco contra proprium virus haud abſurdè accepta ferri poteſt. Sic enim in rerum comparatum eſſe natura naturales nôrunt philoſophi: ut vbi venenum eſt, ibi etiam alexipharmacum exiſtat: malumq; majori bono copulatum inueniatur. Perpendas ſcorpios: ſcruteris viperas: rimeris canthárides: contempleris lacertas: examines bufones: conſideres canes rabie correptos: ſpeculeris pleraq; ſerpentum genera: in ſingulis mehercule antidotum contra propriæ virulentiæ maleficium reperies accommodatiſsimum: non ſine ſingulari diuinæ majeſtatis prouidentiâ, & teſtificatione eiuſdem bonitatis immenſæ, amoriſq; flagrantiſsimi certiſsima: quo miſerum mortale genus, ſingulis penè momentis venenatorum animalium ictibus atq; morſibus expoſitum, clementiſsimè proſequitur.*

Ad quintam quæſtionem nos conferamus: *& quam ob cauſam ſerpens ſibi exitum: eumq; per os machinatus fuerit: quaq; ratione ac modo optimum necârit Adoleſcentem, breuiter ediſſeramus.*

Exitum

Exitum quærebat, Auditores benignißimi: quia grandior factus, & spatiosiorem locum: & liberiorem aërem: & vberius conuenientiusq; alimentum desiderabat. Erat enim macie quodammodo consumptus: & terræ impositus, vix, nisi irritatus, serpebat: & si serpebat, lãguidé & lentè admodũ id ipsum præstabat. Quod tamen etiam ob frequentem medicinarum vsum fieri poterat: quarum facultate genio sæpiùs suo defraudatus: robore priuatus: forté etiam coactus fuit, vt domicilium mutaret.

Per os verò egressum moliebatur: quoniam, cum priùs in intestinis vixisset, pellectus forsan suauitate assumptorum ferculorum (mox enim à prandio erumpebat) ad ventriculum ascendit: quibus cum liguritionem explevisset suam, vlteriùs progressus est: & quia per œsophagum recta via sursum ad os tendebat, factum, vt reptando eò se receperit.

Dum verò egrederetur, nullus dubito, quin premendo arctandoq; arteriam asperam, & maximé rimulam laryngis, per quam tùm vocem emittimus: tùm aërem inspiramus, miserrimum Adolescentem strangulàrit. Suspicor etiam, dum vi quadam niteretur sursum:

a deòq;

adeoq; orificium ventriculi reptando titillaret, pungeret, aut qua uis alia ratione irritaret: suam insuper malignitatem post se derelinqueret, conuulsiones & spasmos concitâsse: dequibus tamen nihil certi affirmare audeo. Suffocâsse autem Adolescentem, inde constare certissimè puto, quòd famula ad ostium latrinæ auscultans eum anhelantem audiuerit: quòd post obitum illius tùm spuma in terram proiecta: tùm ori affixa fuerit conspecta: quòd deniq; serpens iustæ crassitiei ac longitudinis per os exierit. Ob crassitiem enim guttur constringebat: ob longitudinem verò & tarditatem motus diutiús faucibus inhærebat: adeoq; ingressum aëris vltra debitum tempus retardabat.

Sed quid multis rationibus opus est, Auditores lectissimi, cum oculatum testem Hippocratem habeamus? Hic enim lib. 5. Epidem. *clarè dicit, postquam dormienti sui temporis adolescenti serpens in os irrepsisset, illicò manus, velut qui* strangularetur, *prætensas adhibuisse.*

Ast inquiet aliquis, tactum fortè apoplexiâ nostrum fuisse Adolescentem: eoq; extincto, serpentem à corpore recessisse. Id enim & mortem repentinam: & mucum, qui ex naribus post obi-

tum copiosè fluxit: & colorē corruptum atq; depravatum, quo cutis quarundam partium, colli potissimùm, cujusdā brachij, & cruris, infecta fuit, persuadere.

Equidem, haud me latet, apoplexia prehensos subitò interire: sordes interdum ijsdem è naribus manare: cutim quandoque alieno colore fœdari: animalia denique, quæ viventibus cohabitabant hominibus, ijsdem exanimatis, fugere: nondum tamen adducor, ut credam, apoplexiam mortis causam fuisse.

Etenim, non apoplexia solùm: sed etiam aliis de causis homines derepentè expirant. Qua ergò facilitate apoplexia mortis istius causa statuitur: eadem suffocatio prætenditur: idque eò magis, quòd, uti ex jam dictis apparuit, valdè plausibiles rationes habeat.

Húc accedit & illud, quòd apoplectici non anhelent: sed aut statim emoriantur: forti nimirū apoplexia tacti: aut aliquandiu stertant: leviore correpti. At noster Adolescens anhelâsse, altoque ex pectore duxisse suspiria dicitur. Adde quòd adolescentes vix, aut rarò admodum apoplexia infestentur. Est enim hæc senile vitiū. Vnde Hippocrates eam inter senū morbos commemo-

aphor. vlt. sect. 3.

memorat: & fieri maximè ab ætatis anno 40. usque ad 60. scribit. Vltimò, si apoplexià interemptus fuisset Adolescens: serpens sanè non evestigiò, & in momento quasi exijsset: sed aliquandiu adhuc in corpore fuisset immoratus: quēadmodū idē in alijs quoq; animalculis experimur: quæ non extemplò: sed aliquantò post hominū mortem fugere solent: nempe cum calor evanuit nativus: et corpus quodammodo putrescere ac fœtere incipit.

aphor.57. sect.6.

Sed mucum *è naribus prodijsse urges. Concedo. Verùm, sufficiensnè illum prægressæ apoplexiæ argumentū arbitrare? Vidimus defunctos, è quorum naribus sanguis, pituita, aliæque impuritates fluebant: qui tamen apoplexia neutiquam erant è medio sublati. Fieri potuit, ut mucus jamdudum in cerebro Adolescentis collectus, lucta naturæ cum serpente, eiusdemque conatu in respirationis continuatione fuerit quasi fusus, liquatus, & inde ad nasum, tanquam ad cerebri cloacam, protrusus.*

Ast cutim fœdo turpatam colore instas. Respondeo, neq; vitiosum cutis colorem certum, & infallibile antecedentis apoplexiæ indicium esse: neq; apoplecticos omnes eodē inquinari. Αὐτοψία

 monstrat,

monstrat, plurimos, qui apoplectici tamen non fuerunt, post ultimum diem peregrino colore conspurcari. Quid si coloris illius præternaturalis, qui in narratis antea corporis partibus visus fuit, causam statueremus venenum serpentis in corpore derelictum? Nonnè experientiæ & rationi congruentem causam adduceremus? Constat enim, venena sanguinem, reliquosque corporis nostri humores corrumpere, & à nativa sua forma atq; temperie removere. Hinc fit, ut etiam color cutis mirũ in modũ vitietur. Qualis enim humor, inquit magnus noster Hippocrates, est in corpore: talis color efflorescit in cute.

περὶ χυμῶν.

Supereſt ultima quæstio: An, si conjecturâ *aliqua cognosci licuisset, serpentem in corpore foveri, Adolescens liberari ab eo potuisset?*

Ad quam quidem ego, salvo semper rectiùs sentientium judicio, affirmativè respondendum censuerim: motus partim consilio Rationis: partim Experientiæ testimonio.

Ratio *talis est: quia quædam ita sunt grata, jucunda, atq; accepta serpentibus, ut ijs oblatis, illicò accelerent, quò gulæ satisfaciant. Contrà, nonnulla adeò inimica & adversa, ut quibus modis possunt, ea fugiant atque declinent.*

Quare,

Quare, si quæ substantiæ quadam familiaritate ad se serpentes prolectant, foris admoueantur: & quæ ἀντιπαθείᾳ naturali eosdem vel necant, vel abigunt, intra corpus sumantur: aut extrinsecus dextrè, & secundũ artis præscriptum adhibeantur: dubium non est, quin homo à serpentibus tandem liberari possit.

Et hoc non modò ratio suadet: sed etiam experientia multis exemplis comprobauit.

Inter illa verò, quæ naturæ proprietate serpentes ad se alliciunt, principem locum lac tenere videtur. Obseruatum namque fuit, vti Gesnerus, & Marcellus Donatus testantur: & Schenckius quoq; in suis παρατηρήσεσιν ex alijs notat authoribus, lacte feruido ori supposito, & vapore illius hiante ore excepto, serpentes ad os statim proru pisse.

Verùm, *præstaret, meo quidem judicio, per inferiora eosdem educere. Prolectatio enim serpentum ad superiora, eorumq; extractio per os, non horribilis solùm est, & abominabilis: sed & magno cum periculo conjuncta. Etenim orificium stomachi supremum non parum afficitur: ex quo conuulsiones, leipothymiæ, & cardialgiæ impendent: & aspera arteria haud leviter com-*

primitur: vnde suffocationis metus imminet: præsertim si serpentes sint craßiores, longiores, diuq; in faucibus morentur: nec statim, vti sunt prudentes, ac circumspecti, egrediantur.

Primùm ergò intestina suppositorijs, mitioribusue clysmatibus probè evacuarem: deinde lac sæpius per siphonem infunderem, vt serpentem lactis dulcedine inescatum provocarem ad inferiora: tùm lac feruens sedi applicarem: chirurgoq;, vt ad exeuntem serpentem oculorum aciem intentam haberet: exertumq; dextrè tenacula apprehenderet: apprehensumque haud cunctanter extraheret, præciperem.

Quæ *serpentes fugant, duplicis sunt generis: interna, quæ assumuntur: & externa, quæ foris applicantur.*

Ex illorum numero sunt medicamenta cathartica: & quæ alexipharmaca, alexiteria, & antidota nuncupantur.

Ex horum albo suffitus censentur: quanquam alij etiam quædam illinire: quædam verò collo appendere soleant.

Cathartica, *etsi per se neque lumbricos, neq; serpentes, neq; animalia alia expellant: expellũt tamẽ per accidens: naturã ad excretionem stimulando:*

lando: vitiosos succos ad intestina trahendo: & amaritudine sua, ingratoque sapore abigendo. Hinc scribit Cornelius Gemma, se in aliquibus lacertas tres, aut quatuor, à purgantis medicamenti usu dejectas semel atque iterū vidisse. Et Casparus Wolffius, Medicus olim Tigurinus præstantißimus, refert, se præscripto antimonio tantùm effecisse, ut puella animal vivum, lacertæ formam habens, per vomitum excreverit.

l. 1. de divin. nat. characterism. c. 6.

Alexipharmaca *serpentes partim profligantia, partim interficientia, infinita propemodum, tàm simplicia, quàm composita, apud Græcos, Arabes, & Latinos Medicinæ scriptores reperiuntur. Nostri instituti nunc non est, diexodicè enumerare omnia: sed communißimis quibusdam, ijsq; efficacißimis contenti erimus: theriaca nimirum Andromachi: quam Avicenna serpentum venenum vocat: confectione Mithridatis: antidoto Matthioli: diascordio Fracastorij: electuario de ovo Maximiliani primi Imperatoris: electuario Guidonis contra pestem, quod alij electuarium Papæ vocant: pulvere Saxonico: puluere illo ex radicibus dictamni, zedoariæ, & seminibus citri confecto: quo*

l. 5. canon. fum. 1. tract. 1.

cum

cum aqua scorzoneræ jejuno stomacho oblato, Iohannes Kentmannus, Dresdensis quondã Medicus eximius, Anno 1552. grassante peste, supra 30. lacertas ex vno homine, Fabiano Landts ab Ostlitz nominato, expulisse se testatur: & compositionibus similibus, ex bezoarticis paratis ingredientibus: quæ vel per se solæ: vel cum conseruis, aut aquis, decoctisue, & infusionibus cardiacis, pestifugis, & theriacalibus frequenter exhiberi possunt.

Ex simplicibus, quorum laboriosissimus simul & doctissimus Gesnerus immensam farraginem lib. 5 histor. animal. cap. de *serpentibus in genere proponit, solius allij, quod Galenus aliàs rusticorum nominare theriacam solebat: & succi foliorum fraxini mentionem faciemus. Illo enim quotidiè comesto, homines à serpentibus vindicatos esse, Erasmus Roterodamus, author fide dignissimus, asseverat. Hunc verò adeò potenter viperarum resistere virulentiæ Amatus Lusitanus affirmat, vt omnibus antidotis palmam facilè præripiat. Id quod ex fragrantissimis Dioscoridis myrothecijs: & amœnissimis Plinij hortulis collegisse videtur. Dioscorides namq; scribit, succum ex folijs fraxini elicitum,*

l.12. meth. med. c. ult.

Cent. 1. curat. medic. curat. 1.

l. 1. d mat. med. c. 92.

& ipsa

& ipsa folia peruncta: aut ex vino pota, viperarũ ictibus auxiliari. Plinius verò asserit, nihil æquè contra serpentes valere, ac succum ex fraxini frondibus expressum: tantamque vim fraxino inesse, vt serpentes ne matutinas quidem, occidentesue illius vmbras, longissimè licet sparsas, attingant. Imò expertum se testatur, si fronde ea gyro claudatur ignis & serpens, in ignem potiùs, quàm in fraxinum serpentem fugere solere.

l. 16. nat. histor. c. 13.

Similes virtutes etiã alijs quibusdam simplicibus adscribuntur: v. g. Carduo benedicto: Serpentinæ: Scorzoneræ: & Scordio. Puerum siquidem, cui sub arbore dormienti serpens per os irrepserat, hausto stillatitio Cardui benedicti liquore liberatum à serpente Tragus scribit. Matthiolus *tantum pulveri radicis Serpentinæ, quã alteram Coronopi speciem facit, tribuit, vt cochlearis mensura ex vino haustum & serpentum ictibus, & venenatorum animalium morsibus, & deleteriorũ pharmacorũ maleficijs, celeritate mira, stupendaque efficacia, tanquam singulare ac specificum remedium, mederi perhibeat. Idem Matthiolus, quemadmodum & Dodonæus ac Lobelus, Scorzoneram, quam viperinam, & viperariam aliàs vocant, pro antipharmaco*

lib. 2. hist. stirp. c. 114.

l. 2. cõmẽt. in Dioscor. c. 123. & l. 6. c. 40.

 præ-

præsentißimo, non modò contra pestis contagia, venenatorumq; animalium morsus: sed vel inprimis etiam contra serpentũ ac viperarũ ictus decantant: si nimirum vel radicis, foliorumve succus bibatur: vel radix recens evulsa, siccata, aut sacch aro condita comedatur. De Scordio dicere nihil attinet. Admiranda illius facultates contra serpentum virulentiam ab omnibus penè herbariæ rei scriptoribus summis ad cœlum vsq; laudibus extolluntur.

Itaque *internis remedijs nunc valere jußis, ad externa, & quidem ad* suffitus *nos conferemus: quos ad fugandos serpentes plurimum ponderis atque momenti habere, multis in locis Dioscorides ostendit: experientia docet: & ratio ipsa confirmat. Nam si calentis lactis vapor pellicere ad se serpentes valet: quidni suffitus rerũ serpentibus adversantium expellere eosdem humano ex corpore posset: præsertim cum constet, illud vndiquaq; διαπνεῖν, perspirabile esse: facilèque fumos accensarum rerum admittere?*

Conficiuntur *autem juxta Dioscoridis, Galeni, Avicennæ, Pauli Æginetæ, Aëtij, Plinij, Palladij, aliorumq; priscorũ & neotericorũ authorum sententiã, ex galbano, sagapeno, opopanace,*

panace, bdellio, asa fœtida, sulphure, bitumine, succino, lapide gagate, cornu cervi crudo, ungulis caprarum, boum, & equorum: castoreo, dictamno, nepeta, ruta, lauro, serpillo, pulegio, calamintha, betonica, polio, conyza, vitice, junipero, abrotono, origano, peucedano, aro, geniana, ebulo, nigella, & hujus generis simplicibus alijs, quæ brevitatis causa consultò latere nunc patior.

Unicum adhuc libet, idq; præstantißimum proponere remediū. Scriptum reliquit Matthiolus, non modò serpentes qui in ædibus oberrant: sed etiam qui in hominum continentur corporibus, accensis veteramentis, seu calceamentorum corijs, potentißimè profligari: idq; Marcj Gattinariæ testimonio probat: qui capite de præfocatione uteri narrat, quendam in Ticinensi nosodochio viperam in ventriculo fovisse: & ut liberari tandem ab ea posset, varia remediorum genera adhibuisse. Inter alia verò etiam lac ori admovisse: & viperam quidem dulcedine illius pellectum ad os proreptâsse: sed cùm egredi nollet, homine fumo veteramentorum perfuso, illicò, non sine adstantium stupore, per anum exijsse.

Cōm. in lib. 2. Dioscor. c. 24.

Hactenus ergò quæ per angustiam temporis, *& occupationes functionis meæ Aca-*

N 2 *demicæ,*

demicæ, de tristißimo Adolescentis nostri casu meditari, & investigare licuit, liberé vobis exposui, Auditores splendidißimi, omniq; virtutum genere cumulatißimi.

Gratias autem vobis ago submissas, quòd posthabitis studÿs ac negotÿs grauioribus, adeò clementes benignasq; aures mihi præbere dignati fueritis. Vltrò & ingenuè fateor, in ære vestro me esse: sed vicißim spondeo, sanctèq; recipio, omnibus me ingenÿ viribus laboraturum, vt neque animum in me gratum, neq; observantiam vobis debitam desideraturi sitis.

Nunc *pro collato in me beneficio: declarato favore: & præstita in audiendo gratia ac patientia officia mea humiliter reverenterque vobis offero: obnixeq; rogo, vt quibuscunque in rebus vsui illa vobis fore putaueritis, ÿs, cum jure ac merito vestro dicata consecrataque vobis sint, liberalißimè vtamini. Quodsi fortè neq; conditione amplitudinis ac dignitatis vestræ digna: neq; exhibitæ mihi clementiæ & beneficentiæ paria erunt: eiusmodi tamen, vti spero, erunt, vt sentire queatis, ab homine gratißimo, vestræque Celsitudinis, honoris, & existimationis obseruantißimo profecta esse.*

Et-

Et quia cognitum perſpectumque probè habeo, inſtitutum Diſcurſum neq; ſtyli elegantia, neque rerum copia, neque ſententiarum gravitate, neque deciſionis propoſitarum quæſtionum ἀκριβείᾳ, voto & expectationi veſtræ ſatisfeciſſe: ſiquidem ipſe mihi ipſi non ſatisfaciam: ſed in multis adhuc hæream: de plurimis dubitem: & peritiorum judicium auidè expectem: iterum qua par eſt animi ſubmiſſione peto: vt quæ deſiderantur, partim obſcuritati materiæ ſuſceptæ: partim anguſtiæ temporis: partim etiam tenuitati & imbecillitati ingenij mei tribuatis: atque ſic ſtatuatis: ſi deſint vires, laudem tamen atq; commendationem, in rebus præſertim dubijs, incertis, obſcuris, & difficilibus, voluntatem mereri promptam : & in magnis voluiſſe ſat eſſe.


DEUS OPT. MAX. *defunctum Adoleſcentem, qui procul dubio, quæ ipſius erat pietas, & in invocatione nominis divini ardor atque conſtantia, æneum ſerpentem, non quidem à Moyſe in deſerto exaltatum: ſed in ara crucis pro peccatis totius mundi immolatum, Dominum ac Redemptorem noſtrum IESVM CHRISTVM, in agone mortis oculis fidei*

 aſpexit,

aſpexit, læta ac glorioſa beare reſurrectione: ornare corona juſtitiæ: afflictos conſolari parentes: eoſdemque reficere & recreare in alijs: nosque omnes contra antiquum ſerpentem, & draconem illum magnum, Satanam, clementiſsimè protegere: venenata ac lethifera animalia cuncta proculà nobis arcere: vires & firmitatem corporis nobis largiri benigniſsimè dignetur: vt vocationi noſtræ vacare: eaq; docere, diſcere, & facere queamus, quæ ipſi ſunt grata: nobis honorifica: proximo vtilia ac neceſſaria: donec tandem ex hac miſeriarum valle in cœleſtem translati beatitudinem vita cum ipſo perenni: gaudio ineffabili: gloria incorruptibili: potentia ac virtute incomprehenſibili fruamur.

DIXI.

ICON SERPENTIS QUI ADOLESCENTI RUI- nam atque interitum attulit.



I. Meyde fecit

APPENDIX.

Lectori benevolo ſalutem.

VT quæ de quibuſdam ſerpentum generibus dicta in DISCURSU fuerunt, pleniùs & rectiùs intelligerentur: placuit breves ſuccinctaſque eorum deſcriptiones ac figuras ſubnectere. Etſi autem figuræ oculos ſolùm paſcere: & parum, aut nihil habere vtilitatis aliquibus videantur: quòd vmbræ tantùm ſint rerum: & loculos nummis emungant: non inutiles tamen eſſe, vel Anatomicorum, Botanicornm, Aſtronomorum, Geometrarum, & Geographorum tabulæ oſtendunt. Memoriæ enim plurimum inſerviunt, & que dicuntur fuſiùs, paucisſimis cōprehendunt: imò faciunt, vt quæ vel non intelligenter ſatis ab authoribus exprimuntur: vel à lectoribus non rectè percipiuntur, facilia, plana, perſpicuaque fiant omnia. Hùc accedit, quòd non omnium rerũ, de quibus oratio inſtituitur, quovis loco & tempore ſuppetat copia. Itaq; vicem abſentium ſupplent: & faciem earum nobis repræſentant.

Multi ſanè ſerpentes, & ij maximè, qui virulentiores ſunt, noſtris in regionibus minimè conſpiciuntur. Vtile ergò videbatur, eorum imagines ex probatis ſcriptoribus, qui illos viderunt, & fideliter diligenterque depingi ſculpiue curârunt, lectorum oculis ſubijcere: quò viderent in charta, quos vivos nativis in locis videre non licet.

Tuum erit, amice Lector, noſtrum hoc inſtitutum optimam in partem interpretari: & quas tibi figuras ex Gesnero, Grevino, Bellonio, Paræo, & Baldo Angelo Abbatio conſpiciendas offerimus, æqui boniq; conſulere.

O BASI-

BASILISCUS.

Figura 1.





Figura 2.



DE Basilisci etymo & virulentia in Discursu dictum aliquid fuit. Paucis hîc eum describere lubet. In illius autem descriptione authores non concordant: quo fit, vt etiam diversimodè eum pingant.

Duas figuras videre licet apud Gesnerum lib. de Serpentibus, quæ hîc expressæ. Paræus habet vnam: nimirum secundam: lib. de Venenis. Grevinus similiter vnam: sed primam: lib. 1. de venen, c. 18 Plebeij ita delineant, vt caudam habeat instar serpentis: reliquum verò corpus, veluti gallus. Hinc orta quæstio, an existat in rerum natura? Aristo-

Aristoteles sanè nihil, quod sciamus, de Basilisco literarum monumentis consignavit.

Galenus l. 10. Simplic. c. 1. nunquam sibi conspectum fatetur: videturque ea, quæ de summa illius venenositate à veteribus dicuntur, in dubium vocare.

Matthiolus comm. cap. vlt. lib. 6. Discor. fabulosa ea cuncta putat, quæ de Basilisco memoriæ prodita fuêre.

Primùm, quia variè ab authoribus describitur. Deinde, quia de illius ortu & materia generationis nihil certi constat. Tertiò, quià adeò virulentus perhibetur, vt solùm sibilo illius audito: aut corpore viso, homo statim emoriatur. Quod si verum esset, omnes profectò, qui ipsum vel audivissent, vel conspexissent, è medio fuissent sublati: atq; sic à nemine describi potuisset. Et hoc argumento etiam Greuinus vtitur: non quod existentiam Basilisci prorsus neget: sed vt ostendat, tantam malignitatem Basilisco non inesse, ut tantùm visus & auditus homines necare valeat. Concedit quidem, venenosissimum omnium esse serpentum: imò ipsis quoq; serpentibus exitiosum: inficiatur autem, tanta vi pollere, vt solo sibilo & intuitu occidere possit.

Contrà, *quòd Basilisci revera existant, sacræ innuere literæ videntur. Basilisci enim & Reguli nomen habetur psalm. 91. v. 13 proverb. 23. v. 31. Esaiæ. 59. v. 5. 11. v. 8. & 14. v. 29. Ierem. 8. v. 17.*

Hùc accedunt & prophanorum authorum testimonia.

Dioscorides certè symptomata & notas eorum, qui à Basilisco sunt offensi, l. 6. c. 38. tradit: curationem verò ex Erasistrati docet sententia libro eodem cap. vltimo.

Galenus *formam & effectus illius l. de Ther. ad Pison. c. 8 paùcis adumbrat.*

Plinius l. 8. nat histor. c 21. eius patriam, figuram, magnitudinem, ingressum, & effectus proponit.

Idem faciunt Nicander in theriacis: Avicenna l. 4. canon. fen. 6 tract 3 c. 22. Aetius tetrab. 4. serm. 1. c. 33. Paulus Ægineta l. 5. de remed. c. 19 Actuarius l. 6. de meth. med. c. vlt.

Illius quoq; meminêre Lucanus l. 9. Solinus, Ælianus, Isidorus, Festus, & alij.

Ex recentioribus pro affirmatiua militat subtilissimus Scaliger: & tùm authoritate Dioscoridis: tùm experientia nititur, exercit. 246. sect. 4. Leone Pontifice Maximo, inquit, ad ædem Luciæ, sub fornice stabulatum fuisse Basiliscum: cujus afflatu magna lue affecta fuerit Roma. Et sect. 3. eiusdem exercit. illius Solini meminit: qui refert, Pergamenos Basilisci reliquias, (Scaliger habet corium: alij cadaver) amplo sestertio, h. e. magna vi pecuniæ comparâsse: & ne templum Apollinis, (Scaliger & Cardanus habent Dianæ) vel araneæ telis suis conspurcarent: vel aves involarent, aureo reticulo illas inclusisse: deque summa templi parte suspendisse.

Hieronymus Mercurialis affirmat l. 1. de morb. venenos. & venenis c. 21. se, dum apud Imperatorem Maximilianum esset, cadaver Basilisci vidisse: quod in thesauris illius fuerit asservatum.

Ex quibus concludi potest, Basiliscos fabulam non esse: tametsi nos quoq; credamus, haud ita virulentos esse, vt vel sibilo, vel intuitu solo homines vita priuare queant.

Vnde verò nascantur, valde controvertitur.

Quidam ex veteribus crediderunt, ex Ibidum ouis generari. Hinc Ægyptij oua earum frangere solebant.

Communis est opinio, ex ouo galli generationis capere initium. Gallum enim decrepitum anno ætatis septimo, nono, aut ad summum decimoquarto, ovum ea æstatis parte, quâ caniculæ sidus lucet, ex semine, aliove humore putrido, parere, figura non oblonga, sed orbiculari: colore luteo, pallido, aut variegato: nulla testa, sed validissima solùm membrana tectum:

tectum: illudque in fimo calido excludere: ex quo post aliquod temporis spatium, tepore loci, pullus producatur, anteriori corporis parte gallum: posteriori serpentem repræsentans. Quanquam sint, qui velint, ovum hoc à serpente, aut bufone incubari.

Verùm, hanc generationem Albertus Magnus, vti dictum in Discursu, ceu fictam & commentitiam damnat.

Levinus verò Lemnius eam relinquit in medio. Quid sibi videatur, l. 4. de occult. nat. mirac. c. 12. fusiús explicat: ad quem locum Lectorem remitto.


Est autem Basiliscus corpore subflauo, juxta Nicandrum, Galenum, & Aetium: subalbido, juxta Andromachum: albis maculis lineato, juxta Isidorum. Caput habet acutum: & in eo tres eminentias, authore Aetio: quas Galenus apices: Avicenna coronam: Solinus mitrulam albam: Plinius candidam maculam diadema referentem: Andromachus tres pileos vocat. Oculis præditus est rubeis, teste Avicenna: vibrantibus, ut Lemnius monet. Longus tres palmos, secundum Nicandrum & Aetium: duos, secundum Avicennam: duodecim digitos, secundum Plinium: palmum vnum, secundum Ælianũ: sesquipedem secundum alios. Cùm progreditur, anteriorem corporis partem in altum attollit, erectusque incedit: sic docente Plinio: posteriore vt serpentes alij reptat, monitore Solino. Provenit in torridis, siticulosisq; potissimùm mundi plagis: & quidem in prouincia Cyreniaca, vt volunt Plinius & Solinus: in Aphrica, ut ajunt Ælianus & Lemnius: in Nubia, vt sentit Auicenna.

Sola mustela illi est exitiò, testibus Plinio, Solino, & Isidoro. Priùs tamen, inquit Lemnius, se ruta armat: postea Basiliscum intrepidè aggreditur: atq; extra cauernas ac latebras, inquibus delitescit, protractum conterit: & nisi mustela Basilisco demortuò confestim se subducat, pastuque

rut & rursus reficiatur; ipsa quoque ex aëris ambientis contagione ac fœditate suffocatur.

Ælianus scribit, Basiliscum gallum cùm videt, trĕmere animo cùmq; eundem canentem audit, terrore concussum propemodum mori. Hinc qui per Aphricam inter faciunt, gallum itineris comitem sibi adjungere solent: ut eos à pestilenti Basilisci veneno præservet.

DRYINUS.



HÆC est vera ac genuina Dryini pictura, inquit Bellonius l 3. obseruat. c vlt. ex quo suas mutuati sunt Grevinus & Gesnerus. Nicander Dryinam vocat, genere fœminino: Latini Querculum, à domicilio: quoniam in cavernis quercuum quas δρύασ Græci nominant, habitat: tametsi Nicander alicubi etiam in fagis cum latitare asseveret. DE

DE illo verba faciunt Nicander in theriacis: Dioscorides l. 6. c. 38. & 40. Galenus l de ther. ad Pison. c. 8. Aetius tetrab. 4. serm. 1. c. 29. P. Ægineta l. 5. c. 14. Actuarius l 6. meth. med. c. vlt. quos Greuinus, Matthiolus, alijq; neoterici sequuntur.

Serpens est fœtidus: ut & si quis eum non videat, de ipsius tamen præsentia ex loci fœtore certus esse possit.

Fœtor autem talis ferè est,

Qualem *(vt Nicandri verbis vtar)* dant madidæ corii præsegmina sordes,

Quas tereti radunt ab equino tergore ferro.

Tùm scilicet, cùm corium ex equinis pellibus conficitur. Colore est in tergo subatro, ait Grevinus: sed contrarium dicit Nicander: Candidus est tergi color, inquit. Caput habet Chersydro æquale: latiusculum tamen: & non ita acutum. Pinguis est atq; obesus: squamis asperrimis circa vniuersum corpus munitus: in quibus muscæ pennis æreis latibula sua habere dicuntur: quæ tandem serpentes ipsos occidant, authore Aetio. Vnde Chelydrus etiam appellatur: quia cutim ob duras rudesq; squamas asperam callosamq; obtinet instar χελώνης, *hoc est, testudinis. Numerosus visitur in Hellesponto, eodem monente Aetio.*

Posthabitis algis, dulciq; palude, lacuque

Quadrupedes ranas, gracilesq; moluridas haurit.


Longus est secundum Aetium duos cubitos.

Ast P. Bellonius loco allegato scribit, nullum se serpentem novisse, neq; vidisse, qui ad majorem amplitudinem & crassitiem perveniSset: testaturque, se tam magnum aliquãdo Dryinum reperisse, vt sacco inclusum rusticus per duo milliaria ferre nequiverit, quin quiescendum illi fuerit. Addit insuper, exuuium illius fœno repletum, crassi alicujus viri crus magnitudine æquâsse. Altiùs sibilat quàm serpentes alij Idem. Adeò maligna nocentisque est natura, ajunt

Galenus,

Galenus, Aetius, & Paulus, vt si quis eum modò calcet, pedes excoriet: tumorem magnum circa crura pariat: curantis Medici manus cute privet: & si quis ipsum adoriatur, enecetq; malè admodum oleat: illoq; suo fœtore omnium aliorum odorum, quantumvis præstantium, sensum auferat.

HÆMORRHOUS.



HIC serpens Hæmorrhous delineatur, ab effectu nomen sorttius: quia ῥοῦν τοῦ αἵματος, fluxum sanguinis in percussis ex omnibus corporis meatibus causatur.

Illius meminêre Dioscor. l. 6. c. 38. & 40 Nicander in Theriacis: Galenus l de ther. ad Pison. c. 8. Aetius tetrabibl. 4. serm. 1. c. 23. Paulus l. 5. c. 15. Avicenna l. 4. canon. fen. 6. tract. 1. c. 36. Actuarius l. 6. meth. med. c. ultimo: Lucanus l. 9. quos imitantur Grevinus, Ponzettus, Gesnerus, Paræus, Matthiolus, & alij.

Est Avicennæ ex primo serpentum ordine: qui eidem virulentissimi: parvus: & quidem secundum Avicennam vi-

pera

pera minor: ſecundum Nicandrum pedem longus: ſecundum Aetium verò tres palmos æquat: toto corporis tractu gracilis: capite præditus horribili atque aſpero, atteſtante Nicandro. Dentes, inquit Avicenna, habet æquales: cornua in fronte bina: eaque parua & candida: quæ velociſſimè nunc hùc nunc illùc verſat: magnaque cupiditate noxam inferendi flagrat; oculos igneos


Sylueſtres vt apes, populatriceſque locuſtæ:

Collum ſatis conſtrictum: caudam tenuiſſimam: ſic docente Nicandro. Eſt colore juxta Avicennam & Aetium cinereus ac arenoſus: juxta Nicandrum quandoque candidus: dorſo præditus, vt Auicenna & Aetius tradunt, multis maculis nigris atq; albis variegato: ſquamiſq; aſperioribus obſito. Rimoſas, ait Nicander, petras colit: reptat tardè: dumq; reptat, propter ſiccitatem ſquamarum, ſtrepitum edit: velut Aetius & Auicenna ſcribunt. Non autem recto tramite incedit: ſed riuuli inſtar, inquit Grevinus, in pratum aliquod effuſi reptat: & figuram literæ S. repræſentat. Præterea non aliter quam nauis, quæ mare ſulcat, h. e. pro vt undæ vel aſſurgunt, vel deprimuntur, progreditur. Anteriorem enim partem attollit, cùm poſterior eſt depreſſa: & contrà: ob quam cauſam Nicander nauigij vocabulo vſus eſt, vt ingreſſum hæmorrhoi aptè exprimeret.

Ex medio (*dicit*) videas appellere dorſo
Paruum navigium: terit ima lubrica terram
Alvus.

Diſtinguitur ſerpens iſte in marem & fœminam: quæ Hæmorrhois dicitur: eſtq; mari ſimilis: niſi quòd alia inferat ſymptomata: uti partim ex Diſcurſu patet: partim apud citatos authores legere licet. Aetius aliquod etiam diſcrimen in motu notat. Fœmina enim ventri incumbens per terram ſerpit: & greſſum infernè circa caudam firmat. Mas verò circa ventrem ingreſſu nititur, & collum in ſerpendo extendit.

DIPSAS.



QVam nunc figuram cernis, Dipſaden tibi conſpiciendam offert. Vocatur autem ſerpens iſte Dipſas ab effectu: quoniam δίψαν, h. e. ſitim inexhauſtam parit. Vnde & Situla ab Iſidoro appellatur. A Dioſcoride nominatur καῦσος, ἀπὸ τοῦ καίειν: & πρηστὴρ, ἀπὸ τοῦ πρήθειν: quæ verba vrere, incendere, cremare, & inflammare ſignificant: nimirùm quia totum corpus incendit, atq; inflammat: humiditates exiccat: & ſiccando vrgentiſſimum illud ſymptoma, ſitim ſcilicet, quæ extingui nequit, excitat.

De Dipſade loquuntur Dioſcorides l. 6. c. 38. & 40. Nicander in theriacis: Galenus l. 11. ſimpl. & lib. de ther. ad Piſon. c. 8. Avicenna l. 4. canonis fen. 6. tract. 3. c. 38. Aetius tetrabibl. 4. ſerm 1. c. 22. Paulus l. 5. c. 15. Actuarius l. 6. meth. med. c. vltimo: Lucanus l. 9 Geſnerus lib. de Serpentibus: Grevinus l. 1. de venenis c. 14. Matthiolus in Commentarÿs capitum Dioſcoridis jam allegatorum: & alÿ.

Illius

Illius quoque meminit Moyses Deuteronom. 8. v. 15. vbi scribit, fuisse in illa magna & terribili solitudine, qua in Israëlitæ degebant, & serpentem flatu adurentem, & scorpium, & dipsadem.

Aetius dicit speciem esse viperæ, quæ tamen in maritimis magis reperiatur locis. Avicenna non viperam: sed erpentem viperæ, & quidem parvæ similem esse docet. Cui ententiæ etiam subscribit Nicander: inquiens:

Exiguæ similis spectatur Dipsas echidnæ.

Est autem ἔχιδνα *vox græca: quæ viperam fœminam denotat: sic dicta,* ὅτι ἔχῃ ἐν ἑαυτῇ τὴν γονὴν ἄχρι θανάτου *quòd ad interitum vsque fœtum intus contineat. Mas enim* ἔχις *à Græcis vocari solet: quemadmodum infrà, vbi de vipera sermo habebitur, indicabimus.*

Etsi verò vipera Dipsadem magnitudine superet: hæc tamen illa multò est virulentior: citiùsque homines quàm vipera è medio tollit: id quod Nicander hoc versiculo significare voluit:

Sed festina magis mors ictus occupat ægros.


Longa Dipsas est palmum, decernente Avicenna: judice verò Aetio cubitum. Caput habet paruum: collum crassum: sensimque in tenuem ac subtilem caudam desinit: quæ paruis nigris maculis notata: vnde Nicander canit,

Parva & lurida cui circa vltima cauda nigrescit.

Quam ob causam dictum à nobis in Discursu fuit, quosdam Melanurum, ἀπὸ τῆς μελαίνης οὐρᾶς, *à nigra cauda, eam cognominâsse.*

Auicenna ait, Dipsadem per omne corpus nigris maculis plurimis esse conspersam. Aetius etiam fulvas addit. Incedit verò quatiendo caudam: & copiosè in Libya atque Syria invenitur: sic referente Avicenna: nec non in Arabia, authore Æliano: vno verbo, in calidissimis siccissimisque regionibus.

ACONTIAS.



Acontias ab eo quod agit nomen sibi conciliavit. ἀκοντίας enim, ἢ ἀκοντὶς, h. e. teli, aut sagittæ in modum in homines, aliaq; animalia fertur. Hinc Iaculus, & serpens jacularis à Latinis: à Germanis ein Schuß Schlang *vocatur. Valet saltu, inquit Ælianus, vt 20 cubitorum spatium transilire queat: protinùsque ad ea, quæ saltu appetit, inhærescat.*


DE hoc serpentis genere nihil tradidisse videntur Dioscorides, Nicander, Paulus, & Actuarius. Tradiderunt autem Aetius tetrab 4. serm 1. c. 27. Plinius l. 8. hist. nat. c. 23. & Lucanus l. 9. Avicenna sub Cafezati, & Altararati nomine l 4 canon. fen. 6. tract 3. c. 40 de eo egisse videtur. Quidam Iaculum cum Cenchrine, de qua infrà, confundunt. Omnium verissimè ipsum & pinxit & descripsit αὐτόπτης Bellonius, lib. 2. observat. cap. 14. quem l. 1. de venen. c. 21. sequitur Grevinus. Sic autem de Acontia Bellonius. Inter hujus Insulæ (Rhodi) singularia, serpentem Iaculum vidimus, parvis maculis oculorum instar in dorso varium, ijs qui-

quibus Torpedo in dorso prædita est, similibus. Nos extrà vrbem, sub spinosa cappari reperimus, quo loco Turca sua tormenta collocârat, dum Rhodum obsideret. Græci nunc vulgari voce saêtta, h. e. sagittam: Turcæ Ochilanne appellant: veteres Acontiam dixêre. Trium palmorum longitudinem habet: & minoris digiti crassitiem non superat: color eius cinereus ad lacteum tendens: venter autem omninò candidus: squamas in dorso: tabellas verò sub ventre habens, reliquorum more. Ceruicem nigram, & binas albas lineas ab ea per dorsi longitudinem vsque ad caudam excurrentes. Maculæ, quas inspersas habet, lenticula majores non sunt, coloris nigri, albo orbe cinctæ. Hæc Bellonius.

Pollicetur insuper, se anatomen eius aliàs in libro de serpentibus descripturum Sed is ob inopinam mortem, nefarij latronis manu illatam, in hominum manus non venit: vti interpres Bellonij Clusius in præfatione obseruationum testatur.

Hunc serpentē Lucianus, Lucanus, & Ammianus Marcellinus inter Ægypti serpentes numerant. Bellonius in Lemno & & Rhodo invenit. Matthiolus asseuerat, reperiri in Italia: & Solinus speciatim in quibusdam Calabriæ & Siciliæ locis: vbi ipsum incolæ patrio idiomate saëttone vocant.

CERASTES.



CErastes ἀπὸ τῶν κεράτων, à cornubus denominatur. Habet enim in fronte duas paruas eminentias instar cochlearum: solidiores tamen, robustioresq́ue, velut Ælianus scriptum reliquit. Bellonius eum depingit l. 3. observat. c. 51. ex quo suas figuras desumpsêre Gesnerus & Greuinus. Libro verò 2. c. 45. cùm ex Cairo ad montē Sinai proficisceretur, binos sese Cerastas cepisse scribit: marem ac fœminam. Bina, inquit, tubercula instar hordei granorum supra oculos habent Cerastæ: quæ minuta cornua videntur: quorum Aristoteles meminit: qui colubros Thebanos eos nuncupauit. Solinus Plinium sequutus hallucinatus est, cum Cerasten octonis cornubus præditum esse scripsit. Hoc enim falsum esse re ipsa deprehendimus. Dentes habet viperinis similes: similiq́ue ordine dispositos. Cerastes non minus quàm vipera omnis & salamandra viuum parit animal. Integram descriptionem promittit in lib. de serpentibus: qui tamen, uti antea dictum, non sine magno literariæ

Rei-

Reipubl. detrimento lucem non aspexit. De Ceraste aliàs etiam tractârunt Dioscorides l. 6. c. 38. & 40. Nicander in theriacis; Plinius. l. 8 c. 23. Aetius tetrabibl. 4. serm. 1. c. 28. Paulus l. 5. c. 18. Actuarius. l. 6. meth. med. c. vlt. Avicenna l. 4. canon. fen. 6. tract 1. c. 27. Lucanus l. 9 Grevinus l 1. de venen. c. 11 Matthiolus in commentarijs super dicta Dioscoridis loca.

Nicander eum astutum insidiatoremq; vocat: hanc fortè ob causam: quia cornubus suis tanquam esca ad parvas aves alliciendas vtitur: quemadmodum Greuinus & Matthiolus ex Solino referunt. In sabulo namq; se abscondit: & quò faciliùs aviculas accersat, præter cornua nihil ostendit: ad quæ, tanquam ad escam ipsis idoneam, vno impetu aduolant. Longitudine cubitalis est: longissimus duorum cubitorũ: colore arenosus, vt loquitur Aetius: vel, ut Auicenna monet, cinericeus. Nicander illi albicantem tribuit colorem. Suprà infràq; squamosus est: ex quo, dum serpit, sonum sibilo similem edit, teste Aetio:

——— ——— ——— Bibulis sub arenis
Vel quia facta rotis via longa sub scrobe dormit. Nicand.

Per obliquum, non rectà proreptat: eodem docente Aetio. Id quod etiam Nicander monet sequentibus versiculis:

Curuum errat per iter resonantibus aspera squamis,
Qualiter æquoreo longissima gurgite nauis,
Quam violentus agit nunc hùc, nũc Aphricus illùc,
Pellitur, & laterum gemebunda fragore suorum
Extra sulcandas sinvosè fluctuat vndas.

SEPE-

SEPEDON.



SEpedon, siue Seps, παρὰ τὸ σήπειν, à putrefaciendo nomen accepit. Quos enim tangit, eos statim ob veneni sui malignitatem putrefacit.

Est autem illius descriptio apud authores varia. Aetius enim, Pausanias, Ælianus, & nonnulli alij eum inter serpentes collocant. Dioscorides & Nicander modò serpentibus: modò lacertis annumerant. Id quod ex scriptis eorum probatu est facilimum. Etenim Dioscorides l. 2. c. 57. edit. Ruellianæ agens de Sepe, inquit, eum ab aliquibus lacertam Chalcidicam vocatum esse. Libro verò 5. c. 12. eiusdem editionis, ubi de oxymelitis conficiendi modo & viribus tractat, Sepem viperæ genus facit. Idem statuere videtur Nicander in theriacis. Ter enim illius meminit. Primùm post descriptionem viperæ. Secundò post descriptionem hæmorrhoi: quibus in locis Sepem & Sepedonem in serpentum numero habet Tertiò post descriptionem scorpionum, vbi per sepem lacertæ quod-dam

dam genus sibi velle ex sequentibus versiculis est certissimum;

Sic etiam parvis humili compage lacertis
Non ita dissimilem declinans effuge Sepem.

Vnde constat, velut etiam Matthiolus in Comment. cap. 47. (mihi 38.) lib. 6. Dioscorid. & Grevinus l. 1. de venen. c. 13. monent, per Sepem, siue Sepedonem, Nicandrum & Dioscoridem tùm lacertam illam Chalcidicam: tùm serpentis speciem, hæmorrhoo similem, intelligere. Id quod nobis absurdum minimè videtur: siquidem in confesso sit apud omnes, vnum quandoque vocabulum res differentissimas significare.

Cæterùm, nos hic de Sepe & Sepedone agimus vt serpente. Is ab Aetio tetrab. 4. serm. 1. c. 26. hunc in modum describitur. Cubitos duos est longus: ex crasso in tenuem abit: rectà ac tardè prorepit: caput habet latum: os acutum: vniuersum corpus multis albis notis respersum.


Recentiores hæmorrhoo similem esse volunt, nisi quòd, uti jam dictum, recto incedat tramite, &, quemadmodum Nicander loquitur,

——— Mutilæ nulla insint cornua fronti.

Caput habet grande: colorem uarium; quem Nicander hirsuti tapetis colorem appellat: eò quòd tapetes plerumq; varijs sint coloribus ornati.

——— Brevior, dum currit, cauda videtur:
Quam tamen obliquo majorem tramite ducit.

CENCHRINE.



SErpentis miliaris, quem Dioſcorides lib. 6. c. 38. Cenchrum: & c. 40. Cenchridion: Nicander in theriacis Cenchrida: alij Cenchitin, & Cenchrinem vocant, jcon hîc ſecundum Bellonium l 1. obſervat. c. 31. exprimitur: ex quo ſuas deſumpsêre figuras Geſnerus, & Grevinus Vnde denominetur, dictum fuit in Diſcurſu; nempe ἀπὸ τȣ͂ κέγχρȣ, à milio quia maculis magnitudine & colore milio ſimilibus corpus habet notatum. Nicander ait, priſcos illum

—— variis pictum ſquamis dixiſſe Leonem:


quòd ſcilicet leonis in morẽ ferox ſit atq; crudelis. In corpora enĩ ſe vibrat; ſpiris ea inuoluit; adactoq; in claviculas & thoracem vulnere, ſanguinem exugit, leonino omnia ritu. Stata illi craſſities non eſt: authore Nicandro: nec eadem cuiuis Cenchriti longitudo.

Eſſe autem ſerpentem eximiæ magnitudinis inde conſtat, quòd

quòd Nicander illam prolixum & inamabile monstrum appellat. Truncus & ceruix crassa sunt: cauda tenuis: venter viridis: reliquum corpus variè coloratum. Vidit Cenchrinen Bellonius in Insula Lemno: frequens quoque est in Samo, teste Nicandro. Recto incedit tramite, rubosque ac spinas fugit. Cùm rectà iter facit, serpit velociter. Cùm viam sæpè flectit, tardiùs; idque ob corporis longitudinem. Hinc qui fugere Cenchrinem volunt, monentur, ne rectà currant: sed flexionibus & diuerticulis illius cursum retardent.

Aetius videtur Acontiam & Cenchrinen pro vno eodemque serpente accipere: tetrabibl. 4. serm. 1. c. 27. Vnum enim eundemque serpentem & milij referre colorē: & jaculi instar in homines inuolare scribit: quorū tamen illud Cenchrini: hoc Acontiæ competit: & ex iconibus atque descriptionibus á probatis authoribus traditis satis constat, duo distinctissima serpentum genera esse.

ASPIS.



Aspis unde nomen habeat, dubitatur. Isidorus vult, sic vocatam esse, quòd morsu venenum immittat atq; aspergat. Sed nimis longè hæc petita etymologia videtur: cum alij quoq; serpentes idem faciant. Nisi quis hoc peculiariter illi aspidis speciei tribuere velit, quæ Ptyas, siue spuens appellatur. Hæc enim virus suum expuendo animalibus aspergere solet.

Arnoldus eam ab asperitate cutis derivat. Verùm hac ratione Dryinus potiùs aspidis nomen mereretur: siquidem cutim ob duras rudesque squamas habeat asperrimam.

Eustathius à priuatiua particula α, *& verbo* σπίζειν, *quod extendere, & expandere sonat, denominat: quòd scil. aspis non in longitudinem sit extensa: sed in orbem convoluta: sicq; scutum rotundum, quod veteribus Græcis* ἀσπὶσ *diceba- tur, referat.*

Scholiastes verò Aristophanis non aspidem à scuto: sed scutum ab aspide vocatum censet. Aspis enim quando dormit, in multos circumacta orbes conspicitur. Hinc quia priscorum scuta rotunda erant, aspides nuncupabantur.

Idem arbitratur, appellationem suam nactam esse aspidem ab intensiua particula α, *(habet enim particula hæc &* στερητικὴν, *priuatiuam: &* ἐπιτατικὴν, *siue* ἀθροιστικὴν, *intensiuam & coacervatiuam, siue collectiuam in compositione significationem:) & verbo* σπίζω, *extendo: nempe propter acutum, quem edit, sibilum: aut propter corporis, qua prædita est, longitudinem. Sed rursus Dryinus magis aspidis cognomine dignus foret: cum Bellonio teste altiùs sibilet, quàm alij omnes serpentes; ea quoque sit corporis magnitudine, ut idem majorem serpentem neq; viderit, neque nouerit.*

Itaque, unde nomen suum aspis acceperit, in medio relinquimus: præsertim cum sciamus, non omnium vocabulorum certas dari origines posse.

Vt

Vt autem ad naturam aspidis accedamus, sciendum, tres illius species à Galeno l. de ther. ad Pison. c. 8. Aetio tetrabibl. 4 serm. 1. c. 20. & Paulo l. 5. c. 18. proponi: terrestrem: hirundinaceam: & spuentem.

Dioscorides & Plinius de aspide quidem agunt; ille l. 6. c. 38. hic l. 8 c. 23. Sed differentias nullas tradunt; sicut neq; Nicander in theriacis. Auicenna l. 4. fen. 6. tract. 1 tribus capitibus de aspide egisse videtur; capite 24. de hirundinacea: capite 25. de sicca, siue terrestri: & capite 26. de spuente.

Terrestris, *quam in Discursu Græcorum more Chersæam nominauimus, juxta Aetium maxima est aspidum: ita vt quandoque quinq; cubitorum longitudinem æquet. Spuens, cui Ptyadis titulum dedimus, bicubitalis reperitur. Hirundinacea, quæ Chelidonia dicta fuit, vix cubito major inuenitur: sic docentibus Aetio & Avicenna. Chersæa juxta eundem Aetium cinericea est: quanquam & subuiridis conspiciatur. Chelidonia in dorso est nigra: circa ventrem alba. Ptyas itidem cinereo tincta est colore, viridiq;, & ad aureum declinante.*

Eadem secundum Pauli Æginetæ doctrinã perniciosissima est omnium. Nam ubi collum extendit, & spatij longitudinem mensa est, collimatè venenum in corpora, quæ lædere satagit, expuit. Atq; hac aspidis specie Cleopatra, Ægypti Regina, mortem sibi consciuit. Cùm enim Augustus devicto Antonio apud Actium prælio nauali ipsam captiuam abducere vellet, ptyadem sinistræ mammæ admouit: & ab hac commorsa statim perijt: satius existimans, mori in dignitate regia: quàm in triumpho captiuam circumduci: Romanisque spectaculo esse: quemadmodum Galenus, & ex eo Paulus citatis locis commemorant.

Nicander in genere agens de Aspide, dicit eam esse terribilem: corpus habere formidabile: caput horrendum: oculos

flammeos: visum obtusum: auditum subtilem: ceruicem turgidam esse ob squamas sitientes, id est, siccas atque duras, asperam: ex grege serpentum pestilentissimam: tam longam,

——— Extensa queunt quàm brachia duci:

Tam crassam,

——— quàm missile telum,

Quod faciens hastas docta faber expolit arte

Pro trucium horrisona taurorum & cæde leonum.

Colore interdum albicante: sæpè virente: nonnunquã cinereo. aliquando igneo: sibilum edere grauisonum: præsertim cùm ira est concita: incedere tardè: porrectumque pectus attollere: dentes habere 4 (Greuinus hoc de fœmina intelligit: mas enim duos solùm obtinet: id quod ex Aetij verbis colligit) maxillæ concauis infixos: quos aliqua ex parte vesicula sub lingua existens cooperit: in qua venenum inclusum latitat.

Lucanus l. 9. de bello ciuili scribit, Aspidem calidas solùm inhabitare regiones: & maximè Aphricam: nisi in alias etiam orbis partes invehatur. Verba illius hæc sunt:

Ipsa caloris egens gelidum non transit in orbem

Sponte sua, Niliq; tenus metitur arenas.

Sed quis erit nobis lucri pudor? inde petuntur

Hùc Libycæ mortes, & fecimus Aspida merces.

Olaus. tamen Magnus l. 21. monet, Aspides etiam aquilonaribus in mũdi plagis reperiri: scabrosa cute, dura siccitate, cinereo colore, oculis scintillantibus, longitudine trium, vel quatuor cubitorũ, veneni acumine hominẽ ante 4. horas interimentes, nisi opportunis occurratur remedijs: theriaca nimirũ Veneta: aut allio cũ cereuisia veteri poto: aut succo fraxini bibito: aut furfure emplastri modo imposito. Elevatas supra pectus ad mediũ cubitum incedere, uenenumque magna in quantitate diversissimo colore in gutture collectum in resistentem, obuiumue hominem expuere; ac celerrimè sub antra & saxa fugiendo

giendo se recipere: id quod experientia propria confirmat. Itaque illorum improbat sententiam, qui persuasum habent, serpentes calidas solùm incolere oras: duplici ratione moti: primùm, quòd ob connatam frigiditatem frigidas regiones, utpote naturæ suæ inimicas, fugiant. Deinde quòd calore calidarum regionum magis multiplicentur: citiúsq; incrementum capiant. Αὐτοψίαν *enim monstrare, etiam gelidissimam Septentrionis plagam & plurimos, & pessimos serpentes alere: terrestres, aquatiles, atq; marinos: licet quo ad veneni naturam Aphricanis debiliores.*


Vide quæ serpentum Noruegicorum monstra idem eodem in libro describat atq; pingat: quomodo terrestres cum aquaticis pugnent: ut varijs coloribus distinguantur: quibus in locis ac domicilijs sese sustentent: quo victu utantur: quid de Bero, Scytala, Amphisbæna, & serpentibus domesticis, veluti penatibus in extrema Aquilonis plaga reputatis, tradat.

Bellonius affirmat, nullas in Gallia Aspides obseruari. Hispaniæ contrà insulas ijsdem abundare Paræus notat.

Mentio fit aspidum psalm. 58. 91. 140. Deuternom. 32. Esai. 59.

VIPE-

VIPERA



VIperas utriusque sexus figura hæc conspiciendas offert.

Dicta autem est vipera, non quòd vi pariat, quemadmodum paulò pòst demonstrabitur: sed quòd viuos pariat fœtus. Vna enim vipera, inquit Aristoteles l. 1. hist. animal. c. 6. & l. 3. c. 1. & l. 5. eiusdem operis c. vltimo, è serpentibus animal in lucem edit. Facit namq; serpentum genera duo: unum ὠοτόκον, oviparum: quod oua generat, certoq; in loco reponit, & postea incubat: alterum ζωοτόκον, viuiparum: quod oua primùm intra se gignit: deinde ex ijsdem animal producit: productumq; in lucem tandem profert: id quod in genere serpentum soli Viperæ competere credit. Cui etiam Theophrastus l. 7. histor. plant. c. ult. & Nicander in theriacis subscribunt. Sic enim Nicander:

Sola etenim viuo grauidatur vipera fœtu,
Mortua cùm reliquum passim genus ova reponat:
Squamigerosque greges per inhospita tesqua propaget.

Hinc monet Amatus Lusitanus comm. in lib. 2. Dioscor. enarrat. 16. rectiùs viuiperam quàm viperam appellari.

Bellonius Viperam viuiparam non negat: negat tamen solam viuiparam inter serpentes esse: idq; exemplo Cerastis & Salamandræ probat: quæ non minùs quam Viperæ viuum pariunt animal: l. 2. obseruat. c. 54. Idem quoque exemplo Cæculæ, sive Cæciliæ, quam nostrates Blindschleich *vocant, planum fieri posset. Notat enim Gesnerus lib. de serpentibus cap. de Cæcilia, uxorem suam gravidam aliquando Cæculam percussisse baculo: moxq; fœtus viuos prorepsisse ex utero. Imò Bellonius quoq; testatur, in vna Cæcilia interdum 40. catulos reperiri.*

Cæterùm, dividitur Vipera in marem, qui ἔχις: & in fœminam, quæ ἔχιδνα appellatur.

Vtraque colore est subflauo, authore Aetio: nigris maculis notata: caput habet planum & latum: oculos subrubros: Tetrab. 4. serm. 1. c. 21.

R teste

teste eodem: & cum ira excanduit, sanguineo rubore coru-
In theriacis. *scantes: sic docente Nicandro: linguam aliorum serpentum*
Idem. *modo in extremitate diuisam: dentes gingiuis conditos, &*
Plin. l. 11. c. 37. *membranula quadam lethali veneno referta circumdatos: ceruicem angustam: ventrem crassiorem: caudam acuminatam: denique cutim squamis obsitam.*


Obseruandum autem hîc est, magnam varietatem viperarum & ratione formæ externæ, & ratione coloris, & ratione magnitudinis, pro locorum & regionum varietate esse: id quod Bellonius etiam l. 2. obseruat. c. 54. monet.

Porrò, sicuti mas & fœmina in multis conueniunt, ita quoque
Aetius. *in quibusdam discrepant. Etenim, fœmina caput habet latius: mas angustius, siue acutius. Fœmina ceruicem obtinet graciliorem: mas crassiorem. Fœmina trunco corporis est crassiore & breuiore: mas prolixiore tenuioreque. Fœminæ cauda aceruatim in tenuitatem desinit: maris paulatim extenua-*
Act. & Nicander. *tur. Fœminæ cauda breuior est: maris longior. Fœmina 4. caninis est instructa dentibus, mas duobus tantùm. Hinc in demorsis à mare vulnuscula bina, à fœmina, quatuor*
Aetius. *visuntur. Fœmina ingressu ad summum caudæ nititur, sensimque repit: mas gressum supernè circa ventrem firmat, & mouetur velociùs alacriùsque.*

Videntur viperæ calidas amare regiones, ex quo fit, ut in Germania vix reperiantur: sintque trochisci viperini aliunde ad nos adferendi.

Alij serpentes hyeme cauernis terræ conduntur: viperæ autem sub saxis latent; teste Aristotele 8. hist. animal. c. 15. quanquam Plinius contrarium doceat l. 8 c. 39. Deuorant, si habere possunt, scorpios: authore Philosopho 8. hist. an. c. 29. Vini sunt cupidissimæ; sicut & serpentes reliqui. Proinde eas aliq vino cum fictilibus ad sepes posito venantur. Ebriæ enim capiuntur; lib eod. c. 4. Denique aliorum serpentum instar tàm vere quàm autumno senectutem exuunt. Ibid. c. 17. VIPE-

VIPERARUM COEUNTIUM FIGURA.



Figura

Figuræ, quæ coeundi pariendique modum in viperis monstrant, hujus quidem loci non sunt; eas tamen apponere placuit, vt, cum in viperarum considerationem jnciderimus, obiter ostenderetur, & quomodo coirent, & quomodo parerent; præsertim quòd discrepantes de vtraque actione authorum sententias esse sciremus.

Etenim Nicander in theriacis; Galenus lib. de ther. ad Pison. c. 9 Plinius l. 10. nat. hist c. 62. aliique Nicandrum, Galenum, & Plinium, veluti duces, sequuti, tradunt, viperam marem, cum Veneris agitatur stimulis, suaq; cum fœmella coire gestit, caput in adapertum fœmellæ os immittere; semenque ejaculari. Hanc verò libidinis œstro percitam caput mariti auidè amplecti, illudque emissa genitura dentibus voluptatis dulcedine abrodere. Ex injecto autem spermate, & ad uterum matris delato, viperillas postea nasci; quæ, naturâ tacitè vindictam procurante, genitricis vterum in partu perforent atque disrumpant; sicq; cum illius interitu in lucem prodeant. Perire ergò parentem vtrumq; : marem dum coit: fœminam cùm parit: marẽq; à fœmina: fœminam à fœtu necari. Hinc illi nomen impositum vipera, quòd vi pariat.

Verùm, vtrumq; fabulosum esse diligens obseruatio docuit. Αὐτοψία *enim monstrat, viperas eadem ratione coire, qua serpentes alios. Horum verò coeundi modum eleganter Aristoteles l. 5. hist. animal. c. 4. his verbis describit; quæ pedibus carent, & longo sunt corpore, ut serpentes, ut murenæ, ijs coitus circumplexu mutuo supinarum partium agitur. Et quidem serpentes ità circumuoluti sibi ipsis cohærent, ut vnius serpentis bicipitis corpus totum esse videatur. Et lib. 1. de generat. animal. c. 7. ait. serpentes coire complexu mutuo, propter ineptam sui corporis formam ad applicandum. Cum enim exigua quadam sui parte conjungantur, nequeunt præ nimia prolixitate adaptari: cumque membris, quibus am-*

plectan-

plectantur, careant pro ijs agilitate corporis utuntur, complexuque mutuo sese obvoluentes expediunt venerem.

Hactenus Aristoteles. Coeunt autem caudis vsq; ad medium corpus conuolutis: masque per penem in externum uteri orificium, quod in postrema ferè caudæ ipsius fœmellæ parte consistit, semen effundit: reliqua verò superiori corporis parte conuolutæ non sunt: sed liberæ, & à se inuicem separatæ: mutuis tamen osculis sæpiùs sese excipiunt.

Eadem αὐτοψία *docet, matres in partu nequaquam perire: sed saluas atque incolumes permanere. Testem hujus rei oculatum habemus Scaligerum, qui exercit. 201. scribit, se in Vincentij Camerini Circulatoris lignea theca enatas viperillas parente salua vidisse. Testem quoq; Matthiolum producimus, q Coment. in lib. 2 Dioscorid. c. 16. dicit, viperas impregnatas non rarò circumforaneis in capsulis suos peperisse catulos. Testem denique proferimus Amatum Lusitanum, qui Comment. in eundem Dioscoridis librũ enarrat. 16 profitetur, & se, & plures alios experientia comprobâsse, viperas pyxidibus inclusas citra interitum, citraq; viscerum ac vteri læsionem parere feliciter: ac post partum pluribus diebus superviuere. Quare, cum hæc ita sint, patet, illud quoque à veritate alienum esse, quod à quibusdam memoriæ proditum est, nempe Viperam semel tantùm parere. Falso enim nituntur fundamento: viperillas scil. dum exitum moliuntur, matris perrumpere vterum: eandemque interficere: quod cum* αὐτοψία *destruat: etiam quod super struitur corruere necesse est.*

Verùm, sciscitabitur hîc fortè quispiam: qua impulsi ratione statuerint quidam, viperillas, dum exeunt, genitricis suæ matricem dilaniare? Respondetur, potissimam errandi causam fuisse locum Aristotelis, qui habetur l. 5. histor. animal. c. vltimo: sed malè intellectum. Sic enim textus sonat Aristotelicus; τῶν δὲ ὄφεων ὁ μὲν ἔχις ἔξω ζωοτοκεῖ ἐν αὐτῷ, πρῶ-

τον ὠοτοκήσασ & paulò pòst: τίκτει δὲ μικρὰ ἐχίδεια ἐν ὑμέσιν, οἱ περιῤῥήγνυνται τελταῖοι. ἐνίοτε δὲ καὶ ἔσωθεν διαφαγόντα αὐτὰ ἐξέρχεται.

Quibus verbis Philosophus docet: Viperam primùm intra corpus suum ova parere: deinde ex ovis catulos generare membranis, quas in mulieribus secundas vocare solemus, obductos: hos demùm in partu naturali unà cùm membranis excludere. Interdum tamen in partu præter-naturali contingere, ut, dum adhuc in utero continentur catuli, membranas disrumpant: sicque violentia quadam foràs exeant.

Unde Bellonius scribit l. 2 observat c 54 visas sibi vipeвillas absq; membranis prognatas.

Quod ergò Aristoteles dicit de membranis, id alij vestigijs Plinij insistentes de utero accipiunt.


Membranæ, inquit Philosophus, quibus obuoluti sunt viperarum catuli, aliquando in utero lacerantur: non uterus: ipsi autem de vtero hoc pronunciatum interpretantur. Ita namq; Plinij verba l. 10. histor. natural. c 62 habent: parit vipera singulos catulos singulis diebus, 20 ferè numero. Itaque cæteri tarditatis impatientes perrumpunt latera, occisa parente.

Quo loco Plinius duplicem errorem committit primùm, quia catulos posteriùs edendos vteri perforare latera cum internecione matris affirmat. Deinde, quia statuit, viperam singulos catulos singulis parere diebus, 20 ferè numero. Quē errorem etiam Theodorus Gaza sequutus est. Non enim vult Aristoteles, viperam in partu 20. pluribusue diebus occupari: & singulis diebus singulos tantùm edere fœtus. Hoc quippe falsum esse αὐτοψία ostendit: sed docet, viperam catulos omnes vna die parere; singulatim tamen, unum post alterum, aliquo interposito spatio: non multos simul, more reliquorum serpentum, qui confertim ova sua continuo ordine cohærentia

exclu-

excludunt. Verba Aristotelis hæc sunt: τίκτει δ' ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ καθ' ἐν τίκτει δὲ πλείω ἢ εἴκοσι. *Quæ Leonicenus sic vertit : parit autem vna die singulos : parit autem plures quam 20. : non quòd plures perpetuò pariat (parere enim solet interdum pauciores) sed quòd frequenter.*

PARIENTIS VIPERÆ IMAGO.



EXPLICATIO CHARACTERUM.

A Orificium uteri externum.
B. C. D. Sanguis & fœtus excrementa circumfusa.
E. Viperilla exiens ex vtero.
F. Viperilla membranæ suæ, siue secundæ, adhuc inclusa: quam Aristoteles tertia demum die rumpi vult: Baldus verò Abbatius, mox ut in lucem prodiit viperilla, aperiri statuit: intra triduum autem penitùs aufferri.
G. Viperilla membranâ, siue inuolucro exuta.
H. Viperilla è membrana erumpens.
I. Membrana disrupta, qua se viperilla liberat.

AMPHISBÆNA.



Hunc in modum authores Amphisbænam pingunt: sic dictam, ὅτι ἀμφισβαίνῃ, quia in utramque partem, anteriorem scilicet ac posteriorem graditur.

Serpens est paruus, authore Nicandro: lumbrico terrestri haud crassior: Terreus

Terreus est illi color, & densissima pellis,
Plurima quam variè distinctam signa figurant. Nicand.

Genas habet tam latas, ut oculi abscondantur: videaturque Amphisbæna visu carere: id quod rursus Nicander hisce significauit versiculis:

Cujus perpetua cœcum est caligine lumen:
Quod latas vtrinq; genas porrectaque menta
Plus aliis alto serpentibus aggere tendat.


Eadem illi crassities est per vniuersum corporis ductum. Neq; enim ex crasso corpore in tenuem caudam abit: quo fit, vt qua parte caput, qua cauda posita sit, ægrè internoscatur. Id quòd etiam in lumbricis terrenis, ventris tineis, hirudinibus, & quibusdam erucis usu venire solet.

Nicander, Galenus, Plinius, Lucanus, Ælianus, & alij volunt, Amphisbænam duplici donatam esse capite: vno in anteriore: altero in posteriore parte sito; instar nauigiorum vtrinq; proram habentium.

Verùm contrarium probant Grevinus l. 1. de Venen. c. 16. & Matthiolus comment. in l. 6. Dioscor. c. 48.

Bellonius eam vidit in Lemno: Agricola dicit Germaniæ esse ignotam. Olaus verò Magnus l. 21. in frigidissima Septentrionis plaga eam reperiri testatur: scribitq;, solam Amphisbænam è serpentum genere frigori se committere: primamque omnium è cauerna sua procedere.

S C Y T A L A.



Scytala ἀπὸ τῆς σκυτάλης, à manubrio ligneo, cui ligo adhæret, dicta fuit. Est enim illi iuxta Nicandrum crassitie æqualis:

Idem.

Tam prolixa, vagans pluuio quàm reptile cœlo,
Quod fœcunda genus sua gignit viscera tellus.

Amphisbænæ perquàm similis. Vtraque namque, inquit Aetius tetrabibl. 4. serm. 1. c. 30. æqualiter crassa est per totum corporis ductum: neutra circa caudam aliorum anguium modo acuminata.


Præterea, in neutra discerni facilè potest, juxta quam partem caput aut cauda sit collocata.

Differunt tamen: primùm, quia Scytala crassior est. Amphisbæna siquidem lumbricum solùm terrestrem crassitie æquat. Deinde, quia Scytala reptat πρόσσω, in partem anteriorem: Amphisbæna πρόσσω καὶ ὀπίσσω, prorsùm & retrorsúm. Tertiò, Amphisbæna varijs quidem in dorso notis est signata: Scytala autem tanta tergi fulget varietate, vt admiratione suæ pulchritudinis spectatores detineat: authoribus Solino & Olao Magno.

Habet insuper hoc peculiare, teste Nicandro, vt, cum alij serpentes vernali tempore senectam deponant, &, quemadmodum Plinius lib. 8. hist. nat. c. 27. nec non libr. 21. c 23. scribit, oculorum aciem fœniculo reficiant: ipsa quidem exuuijs sese exoneret: verùm fœniculo minimè vescatur: sed per opaca imi montis decliuia morans se teneat, & multo somno lateat obruta, èque alta terra sua sibi conquirat pabula: vt verbis interpretis Nicandri vtar.

HYDRUS.

HYDRUS.



HÆC figura Hydrum, ſiue Natricem ſpectandam exhibet. De illius etymo, victu, habitatione, & ex parte etiam de forma externa dicta quædam fuêre in Diſcurſu. Dictis paucula addere lubet.

Hydrum appellant Græci, ἀπὸ τοῦ ὕδατος, ab aqua: quoniam hyeme ac vere in ſtagnis & paludibus habitat: Latini Natricem, quaſi natatricem: & anguem aquatilem, ſiue paluſtrem. Cherſydrum verò, παρὰ τὴν χέρσον καὶ τὸ ὕδωρ, à terra & aqua: quia æſtiuo tempore, cùm feruidus ſolis calor ſtagna atque paludes exiccat, terram incolit: Latini Natricem terreſtrem. Ob loci ergò mutationem nomen quoq; ſuum mutat: quemadmodum colligimus ex Aetio tetrab. 4. ſerm 1. c. 35.

Idem Aetius, vt & Nicander, Hydrum aſpidi terreſtri aſſimilant: non tamen, inquiunt, cervicem adeò latam habet. In longitudinem accreſcit inſignem: eſtq; plurimis maculis notatus. Hinc Virgil lib, 3. Georg. eum grandibus no-

tis maculoſum vocat: longamq; aluum conuoluere dicit. Viſitur in Calabria frequentiſſimè; non tamen alijs regionibus ignotus hoſpes. In terra cùm degit, ſæuior eſt, venenumque merum nocentiusq; ſecum gerit. In humidis verò locis humido victu ſatiatus, venenum purum non habet: teſte Aetio loco allegato.

De Symptomatibus, quæ morſu infert: deque illorum cura tractant idem Aetius loco citato: Paulus libr. 5, c. 16. & Dioſcorides lib. 6, c. 38. & 40.

FINIS.